ENARRATIONES EVANGELIORVM DOMINICALIVM, A PRIMA DOMINICA ADVENTVS VSQVE AD DOMINICAM SEPTVAGESIMÆ:

Authore Henrico Luytenio, ſacræ Theologiæ Baccalaurio, & Eccleſiæ metropolitanæ Mechlinienſis canonico.

ANTVERPIÆ,
Excudebat Chriſtophorus Plantinus ſibi & Antonio Tilenio.

M. D. LXV.

CVM PRIVILEGIO.

SVMMA PRIVILEGII.

Cautum eſt Regis authoritate, ne quis libros, quorum titulus eſt, *Enarrationes Euangeliorum dominicaliũ, &c. authore Henrico Luytenio Mechliniano, Theologo:* item, *Libellum de natiuitate D. noſtri Ieſu Chriſti, eodem authore*, hinc ad ſexennium imprimat, aut diuendat, excepto Antonio Tilenio, cui ſpecialiter indultum eſt priuilegiũ. Pœna eius qui contrà fecerit, eſt in ſanctione æſtimata, vt in ſingulos libros ſex florenorum pretio multetur, & libri impreſſi, aut inter promercales habiti, fiſco applicentur. Datum Bruxellis 23. Nouembris, M. D. LX IIII. Signat.

De Zoete.

ILLVSTRISSIMO DOMINO, DOMINO ANTONIO PERENOTO,

Archiepiſcopo Mechliniano, &
S.R.E.*Cardinali, Grauellano,*
Henricus Luytenius.

S. D.

CVM magna in euangelia dominicalia multo ſudore, & vigilijs magnis, collegiſſem cōmentaria, illuſtriſſime Pręſul, virtutum ac literarum antiſtes, atque plurimum in ijs deſudaſſem, quo populum Muyſenis habitantem (cuius tunc parochum agebam) commodius erudirem: me malè habuit, quòd ex tantis meis laboribus nullus quicquã me viuis exempto, eſ-

Svmma Privilegii.

Cautum eſt Regis authoritate,ne quis libros, quorum titulus eſt, *Enarrationes Euangeliorum dominicaliũ,&c.authore Henrico Luytenio Mechliniano,Theologo:* item,*Libellum de natiuitate D. noſtri Ieſu Chriſti, eodem authore*, hinc ad ſexennium imprimat, aut diuendat,excepto Antonio Tilenio, cui ſpecialiter indultum eſt priuilegiũ. Pœna eius qui contrà fecerit,eſt in ſanctione æſtimata,vt in ſingulos libros ſex florenorum pretio multetur,& libri impreſſi, aut inter promercales habiti,fiſco applicentur. Datum Bruxellis 23. Nouembris, M. D. LXIIII. Signat.

De Zoete.

ILLVSTRISSIMO DOMINO, DOMINO ANTONIO PERENOTO,

Archiepiſcopo Mechliniano, &
S.R.E.*Cardinali, Grauellano,*
Henricus Luytenius.

S. D.

CVM magna in euangelia dominicalia multo ſudore, & vigilijs magnis, collegiſſem cõmentaria, illuſtriſſime Prȩſul, virtutum ac literarum antiſtes, atque plurimum in ijs deſudaſſem, quo populum Muyſenis habitantem (cuius tunc parochum agebam) commodius erudirem: me malè habuit, quòd ex tantis meis laboribus nullus quicquã me viuis exempto, eſ-

ſet commodi percepturus. Sicuti profectò euenißet, ſi quiſpiam ſupremo meo expleto die, hæc mea commentaria habuißet, qui ea non intellexißet, vel potius qui ea ne teruncij quidem fecißet. quamobrem ſubinde altum preßi corde dolorem. Cùm autem animo ſuccurreret meo, vt potißima quæque ex his deſumpta, ne tãtus plane labor periret, imprimi curarem: verebar non ſolum ſumptuum, quos impreßores à me extorquere conabãtur, magnitudinem: verum etiam multo magis laboris, qui adhuc reſtabat in ijs quæ ſcripta erant, ad incudem reuocandis, ordinãdis, & reſcribẽdis, aſperitatem. quæ enim ſcripta erant, mihi, non alijs ſcripta erant: nec dum ſcriberẽtur, imprimendi animus erat. ſi autem tunc illa in lucem aliquãdo edere in votis ha-

tis habuiſſem, iam omnia ad vmbilicum deducta, facta, & tranſacta fuiſſent. Verum id tunc non venit in mentem mihi. Cum igitur has ob cauſas anxijs æſtuarem cogitationibus, atque animus mihi penderet, & in dubio eſſet, an ea perire ſinerem, an vero in lucem prodire, quantumuis magnis expenſis & laboribus curarem: tãdem animum ſubijt meum, inde emanaturum commune bonum, quod ſemper priuato præſtantius eſt, cuius amore victus, hanc quantumuis grauẽ, quantumuis moleſtam, etiam meæ valetudinis periculo ſuſcepi prouinciam, vt aliquid fructus ad Dei honorem, proximi ædificationem, & animæ meę ſalutem eccleſię Dei afferrem. Verum ne celſitudinem tuam pluribus morer, ampliſſime Pręſul, hoc quicquid eſt noſtri ſtu-

 dij tuo

dij tuo nomini dicatum esse volumus, non ignari hoc omnibus gratum ecclesiasticis futurũ, si tui nominis auspicijs, tuoque fauore cõmendatum prodeat in manus hominum, cùm luce clarius sit, quãtum labores instaurandæ Christianæ religioni, nihil omittẽs, quod ad ecclesiam Dei, cuius decorem & honestatem vnicè diligis, vel ampliandam vel ornandam iudicas. Quapropter graui mœrore afficimur, quòd à nobis tanto locorum interuallo disiunctus sis. Vtinã ad nos quam primum reuertaris: & quemadmodũ facere cœperas; ita nostram tua præsentia ecclesiam exornare pergas. hisce etiam atque etiam vale, Præsulum decus eximium: & faxit Christus omnis salutis author, vt nobis & quam diutissime & quàm rectissimè valeas,

atque

atque adeo vt, quæcunque egeris, ſecundet. Datum Mechliniæ ipſis Maij Idibus, anno à natali Chriſti M. D. LXV.

Candido Lectori.

OMnia ferè hæc, candide Lector, non mea, ſed aliorum ſacræ ſcripturæ interpretum eſſe, confiteor. quod autem eorum nomina vbique aſſcripta non ſint, cauſa eſt, quòd eorum verba plurali numero prolata aliquando ſingulari expreßi: aut è cõtrario, aliquãdo plurali numero, quæ ipſi ſingulari protulerant: aut quod ipſi vltimo conſtituerant, primo collocaui loco: aut alijs atque alijs immutaui modis, vt verbis præcedentibus aptè coniungerentur, & ne ſcopæ eſſent diſſolutæ. Fateor aliquoties aliorum verba de verbo ad verbum hic eſſe collocata, non tamen ſemper eorum nomina in hiſce meis ſcriptis eſſe expreſ-

ſa:

ſa: quia aliquoties ex quibus deſumpſiſ-
ſem, ipſe ignorabam. Et magnam tem-
poris iacturam feciſſem, ſi vt hoc ſciuiſ-
ſem, rurſus libros adijſſem. Si autē dum
ſcriberentur hæc aliquando in lucem ede-
re in votis habuiſſem, profecto authorum
nomina adieciſſem, vbi eorum verba in-
tegra manſiſſent. Verum hoc rariſsime
contigit. hæc dico, ne quis ex arrogantia
me authorum nomina ſubticuiſſe, & mi-
hi, quæ aliorum erant, aſſcripſiſſe exiſti-
met. Hiſce vale candide Lector, & meis
laboribus fruere.

INDEX EORVM QVAE NOTATV DIGNISSIMA IN HOC OPERE OCCVRRERVNT.

L

ERRATA SIC CORRIGITO.

Prior numerus paginam, posterior lineam denotat.

Pag. 2 linea 12 lege quinque diebus. 13.4. auditu. 34.6. prouenire. 43.3. adducentur. 44. 23. collegit. 49.30. permiserit. 51.29 præ angustia. 53.25. effectu. 58.12. perhibuerit. 63.27. præmittitur. 65. 29 ratum sit. 66.7. dele in. 72.7 aliquot 77.32 conspicimur 80.39. aliis 82.12. prænunciasse 92.21. quamuis 98.29 proficit 102.19 Christus est qui solus 115.27 non significare 121.2 dictu 124.5. signacula 132.38 deberēt 137.21 haberi 157.30 dele de 106.3 eis 129.28. præsidium 244.37. superbis 256.26 releuationem

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICÆ PRIMÆ ADVENTVS,

CAPVT PRIMVM.

EVANGELIVM *Matth.xxj.a.*] Euangelium iſtud prima dominica Aduẽtus ab Eccleſia legendum proponitur,non propter hiſtoriam, quæ feſto Palmarũ congruit : ſed duntaxat propter prophetiam , in qua nobis ſignum datur manifeſtum , quo verùm agnoſcimus aduenifſe Meſſiam. Nunc igitur in prima dominica Aduẽtus pro ſigno certiſſimo,quo Chriſtus a nobis agnoſcatur, aduenifſe legitur : In die verò Palmarum, qua geſtum eſt, iteratur: quia rei tunc geſtæ hiſtoria deſcribitur. Dicit itaque Euangeliſta.

Cùm appropinquaſſet Ieroſolymis.] mira res : Chriſtus dum quæritur vt occidatur, non vult occidi: vt manifeſtum eſt Lucæ 4. e. vbi cùm duxiſſent illum , vſque ad ſupercilium montis,ſuper quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum, ipſe tranſiens per medium illorũ ibat. Et Ioãnis octauo, Cùm arreptis lapidibus eum in templo lapidare vellent, ipſe templum egreſſus abſcõdit ſe ab eis. Et Ioan. 10.f. Iudæis quærẽtibus apprehendere eum, exiuit de manibus eorum. Ac deinceps Ioan. 11. conſultantibus Iudęis de nece ipſius,iam non palam ambulabat apud Iudæos, ſed abijt in regionem iuxta deſertum in ciuitatẽ, quæ dicitur Ephrem. hęc autem omnia ea de cauſſa fecit, non quòd Iudæos formidaret : ſed quia nondum venerat hora eius. ſed dum venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mũdo ad patrem, ſe ſua ſponte obtulit ad mortem : vt per hoc ſe non inuitum,neque coactum : ſed ſua ſponte paſſurum oſtenderet. hinc Eſaiæ 53. Oblatus eſt quia ipſe voluit. voluntarię enim proceſſit ad ſuos inimicos ingreſſus Ieruſalem non clam, ſed tanto comitatu, & tanto clamore,

ERRATA SIC CORRIGITO.

Prior numerus paginam, poſterior lineam denotat.

Pag. 2 linea 12 lege quinque diebus. 13.4. auditu. 34.6. prouenire. 43.3. adducentur. 44. 23. collegit. 49.30. permiſerit. 51.29 præ anguſtia. 53.25. effectu. 58.12. perhibuerit. 63.27. præmittitur. 65.29 ratum ſit. 66.7. dele in. 72.7 aliquot 77.32 conſpicimur 80.39. aliis 82.12. prænunciaſſe 92.21. quamuis 98.29 proficit 102.19 Chriſtus eſt qui ſolus 115.27 non ſignificare 121.2 dictu 124.5. ſignacula 132.38 deberēt 137.21 haberi 157.30 dele de 106.3 eis 129.28. præſidium 244.37 ſuperbis 256.26 releuationem

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICÆ PRIMÆ ADVENTVS,

CAPVT PRIMVM.

EVANGELIVM *Matth.xxj.a.*] Euangelium istud prima dominica Aduẽtus ab Ecclesia legendum proponitur, non propter historiam, quæ festo Palmarũ congruit: sed duntaxat propter prophetiam, in qua nobis signum datur manifestum, quo verùm agnoscimus aduenisse Messiam. Nunc igitur in prima dominica Aduẽtus pro signo certissimo, quo Christus a nobis agnoscatur, aduenisse legitur: In die verò Palmarum, qua gestum est, iteratur: quia rei tunc gestæ historia describitur. Dicit itaque Euangelista.

Cùm appropinquasset Ierosolymis.] mira res: Christus dum quæritur vt occidatur, non vult occidi: vt manifestum est Lucæ 4. c. vbi cùm duxissent illum, vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum, ipse transiens per medium illorũ ibat. Et Ioãnis octauo, Cùm arreptis lapidibus eum in templo lapidare vellent, ipse templum egressus abscõdit se ab eis. Et Ioan. 10. f. Iudæis quærẽtibus apprehendere eum, exiuit de manibus eorum. Ac deinceps Ioan. 11. consultantibus Iudęis de nece ipsius, iam non palam ambulabat apud Iudæos, sed abijt in regionem iuxta desertum in ciuitatẽ, quæ dicitur Ephrem. hęc autem omnia ea de caussa fecit, non quòd Iudæos formidaret: sed quia nondum venerat hora eius. sed dum venit hora eius, vt transeat ex hoc mũdo ad patrem, se sua sponte obtulit ad mortem: vt per hoc se non inuitum, neque coactum: sed sua sponte passurum ostenderet. hinc Esaiæ 53. Oblatus est quia ipse voluit. voluntarię enim processit ad suos inimicos ingressus Ierusalem non clam, sed tanto comitatu, & tanto clamore,

quanto alias nunquam, adeo vt tota iam commoueretur ciuitas. neque ſane cum paſſio & mors ſua latebant. ſiquidem in ipſo itinere iam ſic dixerat ad ſuos Apoſtolos. Ecce aſcendimus Ieroſolymam & filius hominis tradetur principibus ſacerdotum, & ſcribis & cõdemnabunt eum morte & tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum. vnde manifeſta eſt cauſa, ob quã appropinquabat dominus Ieroſolymis, hæc videlicet, vt ſe illudendum, flagellandum & crucifigendum offerret, idq́ue pro ſalute humani generis. vſque adeo ille paterno quodam nos dilexit affectu.

Cæterum hoc facere voluit quoque diebus ante paſſionem ſuam, vt ſe conformaret agno paſchali Iudæorum; qui iuxta ſententiam orthodoxorum & catholicorum typus & figura extitit agni illius immaculati Ieſu Chriſti domini noſtri. Hinc dicit & apoſtolus prioris ad Corinthios quinto, Paſcha noſtrum immaculatus eſt Chriſtus. Ioannes quoque euangeliſta, quod de agno Iudaico ſcriptum eſt (os non comminuetis ex eo) de Chriſto Ieſu interpretatur. quia itaque præceptum erat in lege, Exod. 12. a. vt agnus Iudaicus qui immolandus erat decima luna primi menſis tolleretur, & in domo occluderetur vſque ad lunam decimam quartam eiuſdem menſis quando ad veſperum immolabatur: ita quoque verus agnus ex omni genere ſiue macula electus & pro populi ſanctificatione immolandus decima luna, ſeu in feſto palmarum Ieroſolymam aſcendit, vt veritas figuræ reſponderet: & vt manifeſtum omnibus euaderet ſe eſſe illum agnum, qui pro ſalute totius generis humani immolandus adueniſſet, & qui ſolus peccata mundi tollere poſſet. idcirco enim ſeſe figuris conformare, & prophetias adimplere voluit.

His itaque ex cauſis ſaluator Ieroſolymis appropinquauit, renitentibus diſcipulis & matre eius benedicta. vt manifeſtum eſt Ioan. 11. b. nam cum ibi diceret diſcipulis ſuis, Eamus in Iudæam iterum: Dicunt ei diſcipuli: Rabbi nunc quærebant te Iudæi lapidare: & iterum vadis illuc? Diſcipulis namque durum & intolerabile erat, quod illuc ire vellet: & quantum poterant eum ab

itinere retrahebant. Verum qui ſalutem omnium ſitiebat, potius expendere ſe totum pro ſalute humani generis voluit, quàm illorum monitis acquieſcere. quod & Pſalmiſta futurum prædixit Pſalmo 73. dicens: Deus autem rex noſter ante ſecula, operatus eſt ſalutem in medio terræ. O domine Ieſu etiam nunc appropinqua nobis per gratiã & miſericordiam tuam: vt qui operatus es tunc ſalutẽ noſtram in medio terræ, in ſemitis ſalutis perpetuæ iam nos conſerues. Sequitur:

Ieroſolymis:] Dicimus Ieroſolyma, Ieroſolymæ in ſingulari numero: vel Ieroſolyma, orum, vel Ieroſolymæ, arum. & ſic tantum eſt pluralis numeri. eſtque vrbs Iudææ ſeu Paleſtinæ, quæ multa olim habuit nomina. nam primo dicta eſt Salem à filio Noe religioſo & bono Sem, qui eam fertur ædificaſſe & primus in ea regnaſſe. Deinde vocata eſt Iebus, vel ab eo, qui eam ciuitatem fecit ampliorem quem putant Iebus vocatum: vel à Iebuſeis habitatoribus ciuitatis. vnde factum eſt vt ex compoſitione vtriuſque nominis tandem vocata ſit Ieruſalem, quaſi Iebuſalem. Deinde à Salomone, quem ſcribunt vrbem hanc triplici cinxiſſe muro: poſtmodum vocata eſt Ieroſolyma, quaſi Ieroſolymonia. A poëtis vero & hiſtoriographis Ethnicis plerunque per abbreuiationem vocatur Solyma. Habuit & alia nomina, ſed quia illa noſtro propoſito non congruunt, miſſa facimus. Sequitur:

Et veniſſent Bethphage.] ſcilicet ex Bethania ad quam die præcedenti, hoc eſt, ſabbato gratiſſimus hoſpes aduenerat: vbi tunc conuiuium deuotiſſimę mulieres Martha & Magdalena inſtruxerant ei, non in domo ſua, ſed in domo Simonis leproſi: vbi Lazarus à morte reſuſcitatus vnus fuit ex diſcumbentibus: & Maria Magdalena inſatiabili & ſuauiſſima deuotione plena vnguentum precioſum effuderat ſuper caput ipſius domini Ieſu recumbentis. Inde ergo venit Ieſus altera die ad Bethphage iuxta montem olitueti.

Vnde manifeſtum eſt quod dominus Ieſus Bethaniam iam pertranſierat: cum Bethphage & mons oliuarum vicinior fuerit ciuitati Ieruſalem quam Bethania, in qua præcedente nocte Dominus pernoctauerat.

Obiectio. Rogabis quomodo ergo Marcus pro asinis dominum misisse discipulos scribit, cùm appropinquarent Ierosolymæ & Bethaniæ. Lucas item, cùm appropinquassent ad Bethphage & Bethaniam?

Solutio. Dico Marcum & Lucam dixisse Dominum, cùm mitteret discipulos, appropinquasse Bethaniæ, non quòd eam tunc accederet, sed quòd prope eam esset. Non enim eam nisi per vnum paruum miliare exierat. siquidem Bethania & Bethphage locus hic vterque apud radices montis Olineti, nõ nisi per vnum paruum miliare, alter ab altero positus est. Aut dicendum Marcum & Lucam præpostere dixisse, cùm appropinquassent ad Bethphage & Bethaniam: illudque sic intelligendum: Cùm appropinquassent ad Bethaniam, & deinde appropinquassent ad Bethphage ad montem Olineti.

Fuit autem Bethphage prędium seu villa iuxta radicem montis Olineti sita: & pertinebat ad sacerdotes, qui cùm per dies sibi deputatos ministrassent in templo (seruiebãt namque in templo per hebdomadas) ad villam istam, cõpleto officio vicis suę, diuertebant: vt ibi sese recrearent & manerent. Similiter & illi qui accipiebant officium quãuis dies esset sabbati, veniebant illuc vsque. quia solùm distabat à Ierusalem vno miliari. quemadmodum & mons Olineti distabat à Ierosolymis (sicut Lucas in actis ait) per iter sabbati, hoc est, mille passibus. Et ideo locus iste illis valde conuenienter situs erat: qui si longius à Ierosolymis abfuisset, eis non conuenisset. quia non licebat Iudæis in sabbato vltra mille passus ambulare. Sequitur:

ad montem Olineti:] Ierosolyma erat sita ad radicem montis Sion: Bethphage vero & Bethania ad radicẽ montis Olineti: qui quidem mons vocatus est mons Olineti, eo quòd in eo multæ creuerunt oliuæ, vnde & mons Oliuarum appellatus est. Sequitur:

Tunc Iesus misit duos.] Sæpe legitur Dominus duos simul misisse. nam & ad prædicandum misit binos & binos: tum ad socialis vitę commendationem: tum propter mutuam illorum consolationem. Sequitur:

Discipulos.] vt creditur, ex Apostolis. vnde manifestum est quod quidam à via veritatis aberrãt, existimantes vnũ istorum

istorum duorum fuisse Philippum,cuius fit mētio in actis Apostolorum cap.8.a. quia ille nō fuit Apostolus: hic autem missi sunt Apostoli. nam in præcedenti capitulo dicitur Christus secreto secum assumpsisse duodecim, ex quibus hic duo missi sunt. Sunt qui putant hos duos discipulos Petrum & Ioannem fuisse, quòd ij magis quàm ceteri familiares alter alteri fuerint: quemadmodum satis liquet ex cœna & ex ipsa domini passione, cùm Ioãnes induceret Petrum in atrium Pontificis: & ex eo quòd in die resurrectionis vna cucurrerint ad sepulcrum,& postmodū vna piscati sint in mari Tyberiadis,cùm dixit Ioannes Petro, Dominus est. vnde colligitur hos duos sibi inuicē admodum fuisse familiares. Alij tamen arbitrãtur hos duos fuisse Petrum & Philippum, non quidem illum Philippū, cuius fit mentio act.8.a. sed Philippum Apostolum. quinā autem horum veriùs censeantur fuisse,non certo scitur. & parum refert,siue dicamus eos fuisse Petrum & Ioannem, siue Petrum & Philippum Apostolum. Sequitur:

dicens eis, Ite in castellum,] Ierusalem castellum vocat,vel propter eius munitionē,quia instar castelli erat à rege Salomone triplici muro cincta & turribus centum & septuaginta quatuor,teste Iosepho,munita absque turribus, quas Herodes construxerat,adeo vt mirum sit,quòd Christus vrbem omnium nobilissimam & potentissimā, castellum vocauerit. Verum hoc fecit submonens abominationem esse coram Deo, quidquid mundo magni æstimatur & excelsum videtur. vel dicitur castellum despectiuè,propter inhabitantium iniquitates. Probabiliùs tamen videtur per castellum intelligi non ipsa ciuitas Ierusalem: sed villa quędam inter Bethphage & Ierusalem sita,in qua vel iuxta quam fuerit asina cum pullo. Sequitur:

quòd contra vos est.] hoc est, quod ex opposito, & ex aduerso & e regione vestri est secundū situm loci:vel in prospectu vestro:vel sumendo continens per contento,castellum pro incolis eius,quod cōtra vos est,hoc est, quod vobis contrarium est,quoniam me magistrum & dominum vestrum persequitur ad mortem vsque & occidere nititur. Vos autem me diligitis: ideò studia huius contraria sunt studijs vestris. Sequitur:

et statim inuenietis asinam alligatam & pullum cum ea:] hoc est, non discurretis quærẽtes, sed statim inuenietis asinam alligatam & pullũ cum ea: quod nõ vt homo sed vt Deus, cui omnia patent & cõspicua sunt, prędixit: Partim vt declararet hic suam diuinitatem & suam omniũ rerum sententiam, ostendẽs se scire iam ante & illos asinam inuenturos & pullum alligatum cum ea: quodq; asinam & pullum homines illi eis statim concessuri essent: Partim vt prædicendo futura discipulos suos iam timidos, ne vna cũ magistro à Iudæis lapidarentur vel occiderentur, confortaret. Sequitur:

Soluite & adducite mihi.] scilicet ad ministerium. O rex regum & domine dominantium, tibíne adduci cupis asinam & pullum eius ad ministerium vt illis insideas, cum in tua potestate omnes mundi diuitiæ sint positæ? & nihil sit, quin idipsum tuum esse merito dicere possis? Cur itaque asinos & non potius equos insignes & strenuos tibi adduci desideras, vt illis insideas? Verum hoc fecisti domine Iesu nostri gratia, vt tuam humilitatem & paupertatem, quas vbique ostẽdisti maximas, nos doceres, vt eas imitaremur. Sequitur:

Et si quis vobis aliquid dixerit:] scilicet interrogando cur ista animalia soluitis. quod & re vera contigit. nam Marcus scribit quod quidam illic stantes dixerunt: quid facitis soluentes pullum? quamuis enim hæc asina (vt communiter fertur) deputata fuerit ad communem pauperũ vsum, ad quem nutriebatur & pullus ipsius: tamen vsque ad illud tempus nullus hominum fuerat vsus pullo ad insidendum illi: & ob id interrogarunt, quid facitis soluẽtes pullum? Sed si ita futurum erat, quare ergo dominus non dixit absolute, quod interrogandi essent? Dico quod hoc eis indicasse fuerit satis. nam sufficientia eis prædixerat, vnde eius diuina omnium rerum præscientia considerari posset. Sequitur:

dicite,] quasi dicat, non tacete sed respondete. Soluere itaque iumenta & ea sibi adduci discipulis suis mandat & quid obstantibus respondeant, adijcit: vt videamus absolutum Dei cultum verbis constare & factis: non ore saltẽ sed & opere Deum colẽdum esse. vtrumque carni durum

& per

& per quam difficile: sed aliter fieri animæ saluti non expedit.

quia dominus,] non dicit (inquit Chrysost.) quia dominus tuus, nec dominus noster, nec dominus iumentorum, sed sine adiectione, dicit dominus, vt intelligant omnes quia ipse solus dominus, non solum animalium, neque solum eorum qui ei subditi sunt, sed omniũ hominum etiã eorum qui ei contrarij sunt. nam & peccatores conditione quidem eius sunt, voluntate autem sua diaboli. Eius enim est orbis terræ & plenitudo eius. nam in eo quod dicitur dominus & non additur cuius, omnium dominus esse ostenditur.

Iste igitur dominus intelligitur creator, Messias, rex, & princeps vniuersorum: eo quod domini nomen sic indeterminate positum soli Deo sit proprium: sicut per Esaiam altissimus de se loquitur dicẽs: Esaię 42.b. Ego Dominus, hoc est nomen meum. Non tamen ob id incõgruum fuit humilitati Christi se absolute dominum appellare. Nam hoc die ad consolationem & instructionem credentium verbis & factis tum suis, tum aliorum, se vniuersorum dominum ostendere & maiestatem suam declarare voluit: nimirum cum hodie maximis encomijs celebrari & introduci voluerit in Ierusalem: & eijcere statim (postquam templum intrasset) ementes & vendentes de templo, sicut is qui potestatem habet. quod inter omnia miracula, quæ dominus in hoc mundo corporaliter fecit iuxta sentẽtiam beati Hieronymi maximum est. Plerique (inquit) arbitrantur maximum esse signorum, quod Lazarus suscitatus est, quod cæcus ex vtero lumen acceperit, quod ad Iordanem vox audita sit patris, quod transfiguratus in monte gloriam ostenderit triumphantis: mihi inter omnia signa quæ fecit, hoc videtur mirabilius esse, quod vnus homo inermis & illo tempore contemptibilis & in tantum vilis vt postea crucifigeretur, scribis & pharisæis contra se sæuientibus & vidẽtibus lucra sua destrui, potuerit ad vnius flagelli verbera tantam eijcere multitudinem, mensasque subuertere & cathedras confringere. hæc Hieronymus: Nec solum hoc tunc in templo præstitit, verum etiam accedentes ad se cæcos & claudos sanauit. vt in sequentibus

huius capituli testatur Matthæus. quibus omnibus quid aliud effecit quàm vt se declararet non solum verbis, verũ etiam & factis absolute Dominũ & principem vniuersorum? non vt mundi gloriam venaretur, sed vt electi & boni veritatem agnoscerent: Infideles vero & reprobi inexcusabiles redderentur. Sequitur:

his opus habet.] Rogabis, quid opus fuerit tam breui via, scilicet à Bethphage vsque ad Ierosolymam vti non vno tantum, sed duobus iumentis: cùm antea tam magna itinera pedibus confecerit sine iumento, ita vt etiam aliquádo ex itinere fatigatus fuisse legatur Dominus? Causa est, quia facto suo voluit illos monere veteris prophetiæ. Nã antea nunquam vectus aliquo iumento Ierosolymam petijt: nec vnquam aliquis alius rex asinis insidendo Ierosolymam ingressus est, & ideo noua illa pompa aliquid noui significare voluit.

Habuit ergo Dominus his opus, nõ necessitate absoluta & coacta: nam absolute loquẽdo bonorum nostrorum non indiget; sed necessitate cõditionata atque spontanea, vt oraculum propheticum adimpleretur, & Deus in verbis suis verax declararetur. hoc est, ad nostram necessitatẽ & ad suam gloriam. Vati huic Zachariæ quadringentis fere annis antea per Spiritumsanctum ostẽsum est, Messiã asello insidentem in vrbem eam aduenturum, cùm nusquam aliâs in asino equitasse legatur. quod æque fieri oportuit atque hoc quod in Bethlehem secũdum Micheam nascebatur. vnde manifestum est eum hoc non fecisse propter sui corporis infirmitatem aut defatigationem: sed solummodo ad verificandum vaticinium Zachariæ prophetæ. quoniam nocte pręcedente in Bethania requieuerat, & die isto vix per vnum miliare profectus fuerat. Sequitur:

& confestim dimittet eos.] Parui momenti non est, quod possessores iumentorum ignotis hominibus sine pignore vtrunque iumentum dimissuros vaticinatur, idque statim ad mentionem sui nominis, vt eius virtutem nobis adumbraret. nam in hoc ostenditur virtus Christi, quod nõ propter Apostolos, qui nihil authoritatis præ se ferebant, nec agnoscebantur qui essent, dimisissent, nisi hoc fieret opere Christi inuisibiliter corda eorum immutantis. vnde dabat intelli-

intelligere, quod ipse erat Deus, cuius solius est immutare hominu corda. Cor etenim hominis in manu Dei solius.

Vel *confestim dimittet eos,*] scilicet Dominus, hoc est pullum & asinam remittet ad pristinum locum, mox vbi Ierosolymam fuerit ingressus.

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICAE PRIMAE ADVENTVS CAPVT SECVNDVM.

HOC *autem factum est,*] videlicet quod Christus bruta ista animalia per discipulos suos sibi adduci pręcepit, & postmodum adducta ad suum vsum habuit. Hoc inquam factum est, non causa subleuandi laboris in itinere, nec attentandæ alicuius nouitatis: sed *vt adimpleretur quod dictum est.*] vbi (vt) non accipitur causaliter, sed cōsequutiuè. non enim hoc fecit Christus, quia Propheta prędixerat: sed potius è conuerso Propheta prædixerat: quia Christus hoc facturus erat. finis enim prophetiæ est Christus. Sequitur:

per Prophetam] scilicet Zachariam, Zachariæ nono. Augustinus dicit, quòd quando factum noui Testamenti inuenimus prænunciatum in veteri Testamento: intelligere debemus factum à Spiritusancto ad rem aliquam notabilem significandam. Cùm ergo Zacharias hunc ipsum Christi ingressum tot annis præuiderit, rem insignem & notatu dignam eo nobis significari oportet. Sequitur:

dicentem: Dicite filiæ Sion.] Vbi Zacharias dicit, Exulta satis filia Sion: iubila filia Ierusalem: ibi Matthęus non solicitus de verbis Prophetę, habet, Dicite filię Sion. Septuaginta autem, Gaude vehementer filia Sion, prædica filia Ierusalem: vt intelligamus iubilationem illam, de qua loquitur Zacharias, futuram per prædicationem Messiæ, eiusque ostensionē. vnde Matthęus breuitati studens, nulla facta mentione illius gaudij, ex quo processura erat huiusmodi prædicatio, absolutè dixit: dicite, hoc est, iubilando prædicate. Et quod Zacharias singulariter dixerat, iubila

bila ſcilicet per prædicationem : hoc euangeliſta protulit pluraliter dicens, Dicite: nã per filiam Sion intellexit propheta multos Iſraëlitas, qui iubilando dicturi erant, Ecce rex tuus, &c. quemadmodum videmus hic contigiſſe. Nã turbæ quæ præcedebant & quæ ſequebantur clamabãt iuxta Matthæum, Matth. 21. a. dicentes, Hoſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine domini, Hoſanna in excelſis. Et iuxta Marcum, Marc. 11. b. Hoſanna benedictus qui venit in nomine domini, benedictum quod venit regnum patris noſtri Dauid, Hoſanna in excelſis. Et iuxta Lucam, Luc. 19. f. benedictus qui venit rex in nomine domini, pax in cælo & gloria in excelſis. Et iuxta Ioannem, Ioan. 12. b. Hoſanna benedictus qui venit in nomine domini rex Iſraël. Iucunda ſane & ſacroſancta acclamatio Chriſtum regem Iſraël penitus exprimẽs. vnde perpendere tibi licebit teſtimonia Meſſię non ſolum ex aduẽtu eius ſuper aſinã & pullum: verum multo potius ſi quibus laudibus euectus veniat attendas, dum turbæ clara & publica acclamatione & altiſſimis vocibus profitebantur eum eſſe regem æternum, Meſſiam, & deum. Varij enim varia ei attribuebant, prout Spirituſſanctus dabat eloqui illis. vnde manifeſtum eſt quod iſtæ turbæ ſignificantur per filiam Sion, quæ iubilando prophetabatur dictura filię Sion, hoc eſt, alijs Iudæis, Ecce rex tuus venit tibi, &c. Nã iſtæ turbæ iubilando & exultando hic prędicabant reliquis Iſraëlitis, Ecce rex tuus venit tibi, &c. Quamuis enim non dixerint de verbo ad verbum, Ecce rex tuus venit tibi manſuetus, &c. tamen ſimilia, imo his maiora dixerunt. quod autem aſinæ inſideret, dictu opus non erat, cum hoc omnibus ad oculum eſſet manifeſtum.

Propheta itaque Zacharias prçuidens ſe Chriſti tempore non futurum in mortali vita, ideo omnes, qui poſt eum futuri ſunt admonet & hortatur vt non ſileant: ſed aduentum filij Dei in carnem publice & priuatim annuncient, oportune & importune inculcẽt, dicens: O vos omnes docti pariter, & indocti qui prædicatores vultis eſſe veritatis dicite filiæ montis Sion, hoc eſt, plebi Ieruſalem & habitatoribus eius, atque adeo toti Iudeæ & omnibus Iudęam inhabitantibus, qui ad templum in monte Sion ſitum ho-

ſtias oblaturi venire coguntur. dicite inquam, Ecce rex tuus venit tibi manſuetus,&c. nec ſolum hoc pręcipit,verum etiam hoc futurum prophetando prædicit, id quod turbæ hic impleuerunt quæ præcedebant & ſequebantur dominum aſello inſidentem.

Cæterum plebs Ieroſolymitana, dicitur filia Sion, non quod hoc dulci, amicabiliq́ue nomine digna fuerit Ieruſalem, quæ occiderat prophetas & occidere volebat omnium prophetarum dominum: ſed propter multiplicia beneficia huic populo à Deo exhibita, & propter paternū Dei ad eam affectum, quem nunquam deſtitit huic plebi impendere. Hinc in prophetis ſæpiſſime nomine filiæ cōgregatio populi Iſraëlitici ſignificatur. Porro Sion fuit mons ſitus verſus meridiem ad cuius radicem Ieruſalem ciuitas erat ædificata: & in hoc monte ſtabant templū Dei atque palatium regis. Templum quidem Dei vt in eo populus Ieroſolymitanus à ſacerdotibus in his,quę Dei ſunt & ſalutis,doceretur: Palatium vero regis & arx Sion, quæ deinde ciuitas Dauid dicebatur, quod eam ille ſua manu ethnicis abſtuliſſet: vt per illius fortitudinem idem populus contra inimicos defenderetur: & in his quæ pacis ſunt regeretur. Et ideo nomine Sion tanquam à parte ciuitatis principali tota ciuitas ſignificatur, atque adeo omnes Iudæi qui ad templum illud in monte Sion ſitum venire cogebantur. Generalius autē ſic exponitur. O vos prædicatores dicite filiæ Sion,hoc eſt,cuique animæ fideli,admonete inquam eam,ne ſurda aure prætereat. hinc ſequitur:

ecce,] quod myſterium magnum ſubindicat. nam aduerbium eſt demonſtrandi, per quod excitantur deuotæ mentes ne torpeant, ſed repente inſpiciant quis ſit, vt debitum ei honorem impendant. quaſi dicat (inquit Chryſoſt.) Videte non carnali aſpectu:ſed ſpirituali intellectu. Opera virtutum eius aſpicite,non ſchema viſionis eius. Si enim ſchema viſionis eius tantum aſpexeritis, decipiendi eſtis per naturam humanam:Si autem opus eius conſideraueritis à propheta prædictum, ſaluandi eſtis virtute diuina. Sequitur:

Rex] non Cyrus,non Alexander, non Iulius potentiſſimus Romanorum imperator, non angelus aliquis, non patriar-

patriarcha magnus,non propheta eximius,nõ aliquis sanctitate præclarus: sed rex regum & dominus dominantiũ, filius ipse Dei,primogenitus omnis creaturæ,ad quẽ Pater dixit: tu es Filius meus dilectus,ex vtero ante luciferũ genui te,cui Pater tradidit omnem potestatem in cælo & in terra,cuius dominatio est à generatione in generationem. Rex cæli & terræ & princeps regum terræ, in cuius ditione cuncta sunt posita. Rex magnus & excelsus super omnes populos,qui respicit terram & facit eam tremere. Rex magnus super omnes deos, in cuius manu sunt omnes fines terræ.Rex gloriæ & dominus virtutum. Rex qui sedet super Cherubin & Seraphin intuens abyssos.Rex quẽ laudant angeli,adorant dominationes,tremũt potestates.Rex in cuius nomine omne genu flectitur cęlestium,terrestriũ, & infernorum. Rex sedens in excelsis ad dexteram patris omnipotentis.Attamen signa regalis maiestatis abscondit sub humana infirmitate. Hinc Esaię 45.c.Verè tu es Deus absconditus, idque propter corporis assumpti sacramentum. quamuis itaque iam talis non appareat:tamen postmodum manifestabitur gloria eius, dum venturus est iudicare viuos & mortuos. Sequitur:

tuus.] nõ alienigenus, sicut Herodes natione Idumeus, sed tuus,hoc est,de gente tua, & ex te secundum carnẽ natus, & tibi propinquus, omniumque prophetarum vaticinijs tibi repromissus. hoc adijcit Propheta, vt magis eum adamarent. fieri enim plerumque solet,vt homo magis afficiatur ijs, qui sunt sibi magis coniuncti vel sanguine vel affinitate. Sequitur:

venit.] scilicet visibilis oculis: quod propheta Baruch prædixerat tertio capite suæ prophetiæ d. dicens:Post hæc in terris visus est,& cum hominibus conuersatus est: scilicet,postquam præparauit terram in æterno tempore,& repleuit eam bipedibus & quadrupedibus: qui emittit lumẽ & vadit: & vocauit illud, & obedit illi in tremore. stellæ autem dederunt lumen in custodijs suis,& lætatę sunt:vocatæ sunt, & dixerunt, Adsumus:& luxerunt ei cum iucũditate, qui fecit illas. hic est Deus noster & non æstimabitur alius aduersus eum. hic adinuenit omnem viam disciplinæ & tradidit illam Iacob puero suo & Israel dilecto suo.

ſuo. Poſt hæc inquam in terris viſus eſt & cum hominibus conuerſatus eſt. Vidimus (inquit aquila) gloriã eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre plenum gratiæ & veritatis. Venit auditum perceptibilis, quando Pater nobis locutus eſt in Filio. Venit tractabilis manibus. nam cum manus noſtræ, inquit Ioannes, contrectauerunt. Attende quomodo rex deſcendit de ſolio gloriæ ſuæ & coronatus eſt corona paupertatis, corona miſeriæ, & indutus ſacco mortalitatis noſtræ. Egredimini itaque filię Sion & videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua in die deſponſationis illius & in die lætitiæ cordis eius. Sequitur:

tibi.] non ſibi & ad commodum ſuum. nam ipſe bonorum noſtrorum non eget. nihil ei adfert emolumenti noſtra iuſtitia & bonitas: nihil ei obeſt noſtra malitia & iniquitas: adeo vt rectiſſime dixerit Iob cap. 35.b. Si peccaueris, quid ei nocebis? & ſi multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? porro ſi iuſtè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? Ipſe enim adeo diues eſt, vt ditior eſſe nequeat, & talis perſeuerabit in æternum. nihilo minus propter nos extremè pauper factus eſt, vt nos inopia ſua ditaret: vt eſſemus in Deo diuites, & nihil nobis in vlla gratia deeſſet. hinc Paulus ad Romanos 8.f. qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? quis fur vel latro morte plectendus rogare auderet regem, vt pro ſui liberatione naturalem & proprium filium pœnis vltimis traderet? At hoc ſummus imperator Deus pater omnipotens non rogatus, ſed à nobis cõtemptus fecit. qui autem hoc facere in gratiam noſtri ſua pietate dignatus eſt, quid non egit, quo nobis bene eſſet? quid eſt quod non cum illo nobis donauit? Donauit vtique nobis cum illo omnia diuinæ virtutis ſuæ dona: per quæ diuinæ efficimur conſortes naturæ. quamuis igitur quidam inueniantur reges qui quærunt vtilitatem non populi, ſed ſuam: quod eſt indicium mali regis apertiſſimum: ipſe tamen non quærit commodum ſuum, cùm à nobis nihil commodi recipere poſſit. vnde manifeſtum eſt quod non ſibi, ſed tibi venit & ſecum affert diuitias ſupernas

pernas, vt his ditet diligentes se & thesauros eorum repleat omnibus bonis. quod Esaias nobis prædixerat capite suæ prophetiæ 33. hoc modo: Rex noster ipse veniet & saluabit nos.

Venit itaque tibi, hoc est, ad commodū tuum & ad salutem tuam spiritualem. non venit vt adinstar alicuius ferocis tyranni te perdat. non venit vt bella & seditiones suscitet, non venit vt exactiones imponat vel leges condat iniquas: vel seruitute dura te opprimat. non venit vt cum furore te arguat, vel vt cum irā te corripiat. non venit vt violenter te subijciat seruituti suæ, vel affligat. non venit vt vindictam sumat de peccatis tuis, vel vt meritas & infernales pœnas de te exigat: sed tibi venit vt tibi inseruiat: vt te de manu inimicorum tuorum redimat: vt te ab omnibus hostibus tuis spiritualibus liberet: vt diabolum à primatu mundi eijciat: vt regnum peccati destruat: vt cæleste regnum nobis donet: vt ad quod quisque vult, eum habeat ad votum. hinc habemus Luc. 12. d. nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum; idque per Iesum Christum filium suum (qui vt inquit Propheta) *mansuetus* est. non iracundus, non sæuus, non minabundus, non crudelis, qui suam statim vlciscatur iniuriam, sed qui sit longanimis, tractabilis, infirmisque parcens. venit enim non vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum; vt ipsemet fatetur Ioan. 3. venit seruare non damnare. venit vt te sibi attrahat, non vt te repellat. vnde Luc. 9. Cum discipuli scilicet Iacobus & Ioannes contra eos, qui ipsos non receperant, dicerent: Vis domine dicamus vt descendat ignis de cælo & consumat illos? cōuersus increpabat illos Dominus dicens: Nescitis cuius spiritus estis: filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. Nec solum non obesse operibus, verum nec verbis cupit. hinc primæ Petri secundo: Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur non comminabatur. Ausculta & Esaiam capite 53. b. dicentē: Sicut ouis, ad occisionem ducetur: & quasi agnus coram tondente se obmutescet & non aperiet os suū. quis non miretur mansuetudinem tantam? quis hanc aduertens nō obstupescat? Solent homines timore concuti noui alicuius regis metuentes

tuentes bella aut exactiones, seruitutes aut iniusta grauamina. At non est quod timeamus ex aduentu huius nostri regis, quem nobis Zacharias pollicetur. siquidem adeo mansuetus est, vt eius mansuetudinem mirentur omnes: vt non solum mansuetus, sed potius omnis mansuetudinis fons & origo meritò dici debeat. quid est quod possit nobis nostrum regem magis reddere acceptum, eumque nobis magis facere, quàm huiusmodi mãsuetudo, charum & commendatum? Profecto talis nobis rex necessarius erat. Alioqui quomodo eum accedere auderemus tot peccatis & infirmitatibus obnoxij, qui etiam nunc vix dum accedere audemus: cum tamen toties eius nobis prædicata sit mansuetudo, bonitas, & benignitas? nõ est itaque quod timeamus, sed cum fiducia ad thronum gratiæ eius accedamus vt ibi misericordiam consequamur & gratiam inueniamus. si enim nihil est, quod in hoc rege amplius desiderari possit, quid est quod adhuc eum formidamus & veremur accedere?

Porro Hebręa exemplaria loco illius dictionis (mãsuetus) habent dictionem (pauper) hoc modo: Ecce rex tuus veniet tibi iustus & saluator: ipse pauper & ascẽdens super asinam & super pullum filium asinæ. nam per dictionem anah, qua Zacharias vtitur, etiam paupertas (vt Hieronymus vertit) significatur. quæ lectio si cui arriserit, à scopo non aberrat: cum Christus, quamuis rex fuerit, tamẽ omnium pauperrimus in hoc mundo extiterit, qui ne tantillũ quidem, quo caput suum reclinaret, habuit. verum malo cum Matthęo mansuetus quam pauper legere: quod & septuaginta faciunt. nam mansuetudo regem omnibus gratum facit: non autem paupertas. sic enim mundi est ingenium. Sequitur:

Sedens super asinam & pullum filium subiugalis.] hoc mansuetudinem eius nobis aperte insinuat. non enim feroci aliquo vehitur caballo discordiam & litem è pectore spirante, qui de longinquo odoretur bellum & gaudeat ad vocem tubæ: sed asino insidet pacis & tranquillitatis amico & ad pugnam ineptissimo. nec vides in circuitu eius splendentes gladios (inquit Chrysostomus) aut cetera armorum terribilium ornamenta, vt quondam ad vestrã destructio-

ſtructionem venerũt Nabuchodonoſor & Antiochus rex. quid igitur? Ramos frondẽtes teſtimonia pietatis: vt propter manſuetudinem amaretur; non autem potentiam timeretur. Sicut quondam Exod. 20. quando cunctus populus videbat voces & lampades & ſonitum buccinæ, montemq; fumantem. Et perterriti & pauore concuſſi ſteterunt procul dicentes Moyſi: Loquere tu nobis & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. Et aìt Moyſes ad populum, nolite timere: vt enim probaret vos, venit Deus, & vt terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis. Iam autem non venit in tanta maieſtate, ſed humilis, pauper, & manſuetus. & talem vt expectaretis, voluit Propheta vobis indicare. Nouerat enim Propheta quod tu expectares regem glorioſum & crudelẽ & ad ſanguinem fundendum ſitientiſſimum, & ob id te inſtruere voluit, vt non talem expectares, ſed manſuetum: illum videlicet qui aſinis veheretur. quod niſi aliquid inſolitũ & præter expectationem foret, nequaquam tam diligenter te præmoneri curaſſet propheta Zacharias.

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICAE PRIMAE ADVENTVS, CAPVT TERTIVM.

SEDENS *ſuper aſinam & pullum filium ſubiugalis.*] hinc non ſolum eius mãſuetudinem, verum etiam paupertatem perſpicimus. Egeſtatis enim Chriſti euidens argumentũ eſt, quod aſino, eoque non ſuo Ieroſolymam ſit aduectus. nec venit cum magna pompa multis militibus conſtipatus, nec precioſa purpura fulgens: nec curru aureo aut equo inſigni vectus, ſed aſello paupertatẽ ſibi inſidentis perſpicuè indicanti inſidens. nec eſt quòd putes eum ideo non eſſe regem, quia reges huius mundi non imitatur pompa illa & luxu regali. nam Dominus per Zachariá pollicetur tibi regem pauperem & ſedentem ſuper aſinam & pullum filiũ ſubiugalis. quaſi diceret Propheta: In hoc ſigno cognoſces Chriſtum, Meſſiamque tuum, cum videris il-

ris illum pauperem & sedentem super asinam aduenire. Interrogetur ergo Iudæus quisnam regũ asina vectus (inquit Chrysostomus) Ierosolymam intrauit? neminẽ profecto præter Christũ dicere possunt. vnde manifestum est hunc ipsum esse, de quo Zacharias hoc futurũ prædixit: & qui non solũ Zachariæ, verũ etiam Prophetis omnibus & Patriarchis, non solum Angelis & Archangelis, sed & ipsi omnipotenti Deo, dum Ierosolymam veniens asello insidebat, augustus visus est. Si autem hoc abneges (quod absit vt quis eo dementiæ perueniat) da igitur mihi aliũ regem præter nostrum Christum Iesum, qui possit suapte virtute claudis gressum restituere, leprosos mundare, oculos cæcorum aperire, mortuos denique suscitare. Hæc enim omnia operatus est Iesus, Mariæ virginis Filius; nec solum hęc, verum omnia quæcunque voluit, fecit, in cælo & in terra: nec quisquam est qui voluntati ipsius resistere queat. Capere eum vultis, sed quia voluntas eius nondum est, facere id non potestis. nam si præualere ei possetis, quare eum non comprehenditis, dum in conspectu vestri omnium ciuitatem ingreditur, ingreditur templum, vendentes & ementes eijcit?

Vnde omnibus notum euadit, falsissimam esse Iudęorũ opinionem, qua seducti putabant Messiam vsurpaturum sublimem rerum secularium administrationem, & venturum cum magna pompa vulgi iudicio splendida, adeo vt toti imperaturus esset mundo, vniuersumque mũdum regno Iudaico pariturum. Et hanc falso persuasam opinionem ex scripturis suxerant perperam ab illis intellectis: quemadmodum nunc quoq; hęretici falso intellectu scripturarum seducuntur. nam illud quod Esaiæ 2. a. habetur, sic intelligebant. Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montiũ, & eleuabitur super colles. Et fluent ad eum omnes gentes: & ibunt populi multi & dicent: Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem. Sic & Hieremiam intelligebant dicentem cap. 3. f. In tempore illo vocabunt Ierusalem solium Domini: & congregabuntur ad eam omnes

gentes in nomine Domini in Ierusalem. Eodem modo interpretabantur & Dauidem cum ait Psal. 71. Et dominabitur à mari vsque ad mare: & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Coram illo præcident Aethiopes: & inimici eius terram lingent. Reges Tharsis & insulæ munera offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes seruient ei. & id genus plurima scripturæ loca alia in eãdem inducunt sententiam: quæ non intelligentes spiritualiter implenda, credebant Messiam temporali Maiestate omnibus imperaturum. Et huiusmodi falsam opinionem non tantum mali habuerunt Iudæi: sed etiam qui pij erant, adeoque cognati & apostoli Christi. nam sicut Matthæus scribit capite 20. Venit ad Iesum mater filiorum Zebedæi & petijt vt ex filijs alter ad dexteram, ad sinistram alter sederet in regno Christi. nec Apostoli etiam post resurrectionem aliud suspicati videntur, dum Christũ ad cælos ascẽsurum interrogarunt actorũ primo: Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël? Ita quoque Iudæi, qui hodie viuunt, sentiunt.

Rogabis fortassis, qui ergo fieri potuerit vt Ioannẽ Baptistam putarent esse Christum, vt legitur Luc. 3. d. hoc modo: Existimante autem populo & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus: quem tamen ad oculum videbant omnem rerum secularium administrationẽ reijcere & contẽnere? Respõdeo quod existimabant Christum futurum in hoc sæculo magnum: quamuis non ita statim à principio vitæ eius. Verum hunc illorum errorem propheta Zacharias elidere & eos ad semitam veritatis perducere volẽs, dicite, inquit, filiæ Sion, hoc est, genti Iudęorum: Ecce rex tuus Messias, seu Christus venit tibi, non vt tu putas gloriosus, nec vt dominator terrenus, potestatem aut gloriã ostentans, nec quicquam regium, quamuis re vera rex sit, exhibens: sed mansuetus, pauper, & sedens super asinam & pullum filiũ subiugalis. quasi diceret: hoc habebis signum, filia Siõ, aduentus tui Messiæ quod illum videbis pauperem, mansuetum & super asellum sedentem ad te venire. Christus quoque, vt se probaret esse Messiam & se illum esse de quo Zacharias

charias prophetauerat, curauit, vt ſibi adducerentur aſina & pullus eius, quibus viciſſim inſideret introiturus in Ieruſalem ad patiendum. Et deinde illis inſidens Ieroſolymam ingreſſus eſt quemadmodum non vnus duntaxat Euãgeliſta, verum omnes ſimul nobis deſcribunt, adeo vt Dominus ipſe iam hodie ſententiam iſtam veterum ſimul & recentium Iudæorum iuxta prophetiam Zachariæ vnico hoc aſello funditus euerterit, cui velut pauper & egenus inſidens, vrbem ingreſſus eſt. Illum quoque proprium non habuit ſed commodatitium. Eſaias quoque hanc Iudæorum opinionem plane reijcit, dum dicit 53. ſuo capite a. dicẽs: Quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt? Et aſcẽdet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti. non eſt ſpecies ei neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauiuimus eum: deſpectum & nouiſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus: vnde nec reputauimus eũ. Verè languores noſtros ipſe tulit & dolores noſtros ipſe portauit. & nos reputauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum. Demens igitur fuerit neceſſe eſt, qui non videat hæc huic Iudæorum opinioni plane aduerſari. hinc enim perſpicuè cognoſcitur Chriſtum ad nos nõ deſcendiſſe vt temporalia huius mundi regna ſibi vſurparet, & aſſcriberet: ſed vt noſtros dolores portaret. Relinquo alia variæ ſcripturæ loca, ex quibus hoc ipſum euidentiſſime oſtendi poſſet.

Quod aũt ad intellectum prophetiarum priùs in cõtrariam partem adductarũ attinet: Dico quod Dauid, Eſaias, & Hieremias non loquuntur de externa & temporali adminiſtratione terreni regni: quemadmodum Iudæi opinabantur & adhuc hodie, qui viuunt, opinãtur: ſed de ſpirituali regno Chriſti & fidei.

Porrò dubia eſt hic queſtio: an Chriſtus vtrique & aſinę & pullo, an alteri tantum inſederit? Apparet quod vtrique: quia nõ eſt veriſimile, quòd Chriſtus aſinam curaſſet ſibi adduci, niſi voluiſſet ea vti, nec vt apparet iniunxiſſet diſcipulis vt dicerent, quia Dominus his opus habet, niſi voluiſſet vtrique inſidere. nec denique vtrique impoſuiſ-

ſent Apoſtoli veſtimenta ſua niſi vtroque vectus fuiſſet. quamuis autem hæc argumenta facile ſolui poſſint,& dũtaxat probabilia exiſtant:tamẽ textus Zachariæ adeo apertus eſt : vt de hac re nulla videatur poſſe eſſe dubitatio. Nam Zach.9.c. expreſſe habetur: Aſcendens ſuper aſinam & ſuper pullum filium aſinæ. quod ſi dixeris interpretem male vertiſſe & vertendum fuiſſe:Aſcendens ſuper aſinum & ſuper pullum filium aſinæ, vt hoc non diuiſim accipiatur quaſi ſuper diuerſa numero animalia viciſſim ſederit : ſed coniunctim vt vnum & idem animal, ſuper quod Dominus ſederit,intelligatur per aſinum & pullum, ita videlicet vt ipſe pullus aſinus quidem fuerit natura,pullus vero ætate : nihil hac tua reſponſione & euaſione effeceris : cum Matthæus expreſſe habeat duo animalia numero diuerſa fuiſſe Chriſto neceſſaria, Chriſto atteſtante qui ait, quia Dominꝰ his opus habet & cõfeſtim dimittet eos, ſcilicet aſinos,loquens de illis pluraliter : idq́ue aſſerit factum eſſe vt impleretur quod dictum eſt per Prophetam. vnde conſtat Zachariam non de vno,ſed de duobus diuerſis numero animalibus prophetaſſe. Si enim duo animalia numero diuerſa fuerunt Chriſto neceſſaria, quia id futurum prædictum erat per Prophetam : ergo & Propheta de duobus diuerſis numero animalibus in ſua Prophetia eſt locutus. quod ſi verum eſt (vt equidem non dubito) cùm ergo Zacharias expreſſiſſime dicat,Chriſtum aſcẽdiſſe ſuper aſinam,aut ſi mauis iuxta tuam ſentẽtiam,aſinum & ſuper pullum filium aſinæ, per hoc intelligens duo diuerſa numero animalia, non dubium eſt quin vtrique inſederit. quorſum enim aſcendiſſet ſuper vtrunque, niſi vt vtrique inſideret? præterea quorſum interſeruiſſet non ſolum Propheta, verum etiam Euangeliſta cõiunctionem (&) ſi voluiſſet de aſino & pullo per appoſitionem loqui?

His rationibus moti Doctores plurimi hoc ipſum aſſerere non dubitauerunt : ex quorum numero ſunt Chryſoſtomus, Theophylactus, Beda, beatus Thomas, Remigius, Ludolphus, Lanſpergius, Ecquius, Dionyſius & Dominus Caietanus.

Porro mirabitur quis, quam igitur ob cauſam alij tres Euangeliſtę meminerint ſolius pulli,ſi & aſinæ inſederit? Dico

Dico eos ſolius pulli feciſſe mentionem, non etiam aſinę: quia reliqui tres Euangeliſtæ ſolis Chriſtianis ex gentibus conuerſis qui per pullum ſignificantur, ſcripſerunt euangelium. Matthæus vero Chriſtianis ex Iudaiſmo credentibus euangelium natiua lingua & hebraica deſcripſit, & ob id aſinam quoque commemorat, quæ hic Iudæos figurate exprimit.

Rurſus hic quæſtio eſt, cui Dñs prius inſederit an aſinæ an pullo? Dico quod prius aſinæ, deinde pullo, vt inquit Theophylactus. Sed mirum videri poteſt quòd Dominus iam ad montem Oliuarum perueniēs & Ieroſolymis propior factus petat non vno, verum duobus vehi iumentis, qui antea per medium Samariæ & Galilææ (vt Lucas dicit) tantum itineris pedes confecit, vt ex itinere defatigatus fuiſſe legatur, nec tamē vehi animali ſolitus ſit. Verum mirari deſines, cùm hanc rem animaduerteris certam habere cauſam. Cauſam aſſignat Matthæus dicens: hoc autē factum eſt vt impleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem, Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit, &c. hoc autem dictum erat per Prophetam, vt illo exhibito ſigno & iudicio Meſſias agnoſceretur. Si roges quare Chriſtus illo & non potius alio ſigno humano iudicio ſplendidiore à nobis (qui nihil, niſi quod magnū eſt, miramur) agnoſci voluerit: Reſpondeo, ꝙ illo ſigno à nobis voluit agnoſci, in quo voluit vt ſe imitemur. Vide igitur quomodo ille ad te veniat, vt pari modo tu quoque ad illum accedere labores. Ob id enim hic in ſumma egeſtate ſe dedignatus non eſt exhibere, palamq; videri ab omnibus pauper, humilis, manſuetus & aſinis vectus, atque ita ad te venire, vt tuam ſuperbiam confundat & faſtum, vt eius diſcas formam, paupertatis, humilitatis, mãſuetudinis aliarumque virtutum imitari. hinc Chryſoſtomus, Dominus, inquit, hæc fecit, vt nos doceret ne maiora quàm neceſſarius vſus exigit requiramus: itaque quando etiam naſcebatur, non magnificas ædes, non locupletem matrem, ſed pauperrimam & fabro deſponſatam elegit, & in tugurio naſcitur & in præſepio ponitur. Sic diſcipulos non oratores aut prophetas voluit; nec genere aut fortuna claros, ſed inopes valde & ignotos. menſa ſua ordeaceis nõnunquam pani-

bus, nonnunquam quos discipuli è foro emerunt, referta erat. Recumbebat præterea in fæno: vestes viles, nec conditionem vulgi excedentes induebatur. domum nullam habebat. cumque de loco in locum transeundum erat, pedibus iter faciebat. & sic faciebat, vt labore plerunque cōficeretur. Hæc Chrysost. ad quæ si mores seculi conferre vellem, Deus bone, quã inepta & dissimilis foret collatio. Est præterea alia causa ob quam in tam paruo itineris spacio vti voluit vtroque iumento. quia (vt doctores asserũt) his duobus animalibus brutis Iudęos & gentiles designat. Asina quidem, quoniam & vetula & gestandis assueta erat ponderibus synagogam Iudæorum, quæ multo iam tempore legis Moysaicæ iugum portauerat, recte figurat: pullo vero, cui (vt Marcus ait) nemo adhuc insederat, gentes significat diuinæ legi non alligatas, feras & indomitas. Et Dñs vtrique insidere voluit, vt significaret se vtrorumque nomine mortem passurũ. Hinc patriarcha Iacob de Messia loquens Genes. 49.b. meminit pulli, id est, gentilis populi, & asinæ, hoc est, synagogæ, dicens: Non auferetur sceptrum de Iuda & dux de femore eius: donec veniat qui mittendus est, & ipse erat expectatio gentium: ligans ad vineam pullum suum & ad vitem, o fili mi, asinam suam. quasi dicat patriarcha Iacob: Christus qui mittendus erit ligabit pullum suum, hoc est, gentilem populum ad vineã suam, id est, domum Israel. vinea enim Domini sabaoth, domus Israel est. hoc est, ad Apostolos qui ex Iudęis sunt. Et asinam suam, id est, synagogam graui legis pondere depressam copulabit viti electæ, id est, sibi. Nam Christus dicit Ioan. 15. Ego sum vitis vera. vnde consequitur quod non solum Iudæos sed & gentiles copulabit sibi. nam nō alia ex causa gentiles copulat vineæ, quam vt vineæ inserti etiam inserantur viti electę & sibi. Et primo quidem sedit super asinam quia primò quieuit in Iudæorum synagoga: deinde super pullum, quia extremis temporibus quieuit in gentili populo.

ENAR-

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICAE PRIMAE ADVENTVS, CAPVT QVARTVM.

EVNTES *autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Iesus.*] Ecce discipuli fecerunt, quemadmodum illis præcepit Iesus. nam discipulorum Christi est præceptis Dei sine vlla cunctatione parere, nec difficultatem alicuius mandati, sed maiestatem mandãtis attendere. nos quoque eorum exemplo edocti libẽter faciamus quod nobis præcipit Iesus. Sequitur:

& adduxerunt asinam & pullum.] hoc erat, quod Christus ab eis fieri volebat. Sunt quidam, qui non quod Christus vult faciunt: sed sua desideria expressis Christi mandatis præponunt. Huiusmodi homines Christo Domino non placent, nec mercedem bonam ab eo accipient. Qui igitur vitam æternã desiderant, nõ hos imitentur, sed Apostolos, qui id, quod Christus mandauerat, fecerunt. nec tamẽ eo contenti etiam aliud pium opus quod Christus nõ iusserat, addiderunt. hinc sequitur:

& imposuerunt super eos vestimenta sua,] hoc enim Apostoli non iussi, sed ex semetipsis fecerunt: quod animaduertere hic debent, qui nihil putant Deo placere, ab eodem non præceptum: & qui dicunt omnia adinuentiones esse humanas, quæcunque non sunt expressa scripturis. nam id falsissimum esse, vel hinc deprehendi potest. Siquidem Apostoli iussi vt adducerent asinam & pullum, hoc ipsum fecerunt. sed non solum hoc, verum etiam quod non fuerant iussi, addiderunt, dum vestimenta sua Domino supposuerunt & nihilo minus hoc Christo acceptum fuit.

Imposuerunt ergo super eos vestimẽta sua, videlicet ne vilium animalium aspera terga premeret: sed mollius, honestiusque sederet. Ob id enim non permiserunt discipuli, vt Dominus nudo insideret asino: sed pro reuerentia loco sellæ superposuerunt vestimenta sua: quod Apostoli spiritussancti instinctu fecerunt nos erudientes vt Christi venerabile corpus, quod Damascenus deificatum vocare

audet, sine summa reuerentia non tractemus.

Hic quoq; perpendite,quāto affectu & studio, vt Christo Domino placeant, sua vestimenta exuerint,vt ea Christo supponant & largiantur, adeo vt dubium non sit, quin si copia & facultas illis maior fuisset, longe plura contulissent. vnde manifestum euadit, quod apostolici Spiritus nihil sapiunt qui hic Domino sunt auari. Sequitur:

& eum desuper sedere fecerunt.] vnde etiam animaduertere debemus,quanto amore (vt Christo rem gratam faciāt) opera etiam infima aggrediantur instar ministrorum, qui dominos suos, vt equis insideant,adiuuant.

Hic iam regis gloriæ humilitatem attende, cuius quāuis sit orbis terrarum, & quicquid cæli terræque ambitu continetur: in cuius faciem angeli desiderant prospicere, coram quo columnæ cæli contremiscunt: quàm humiliter tamen ciuitatem Ierusalē, in qua Iudæi opulētissimi & nobilissimi habitabāt, sit ingressus, sedēs tum super asinā, tum super pullum filium subiugalis:adeo vt mirum sit Altissimū sese nostri gratia ad tātam demisisse humilitatem.

Ex quo omnibus notissimum est, quòd sicut Propheta prædixerat Messiam venturum Ierusalem super vtrunque animal (asinam & pullū) ita certissime sit impletum; successiuè enim vectus est vtroque. Sequitur:

Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via:] Prius actum est de cultu Christo ab Apostolis exhibito: Iam vero hic fit mentio cultus Christo à turba præstiti: quæ partim egressa fuerat de Ierico & secuta saluatorem: partim ex Ierosolymis illi obuiam (vt Ioannes ait) progressa fuerat. Dicit itaque Euāgelista quod ingens hominum multitudo strauit vestimenta sua in via: qui certe populi cultus, si externa attendas, maior est quàm apostolorum. Hi Christum super vestes suas sedere fecerunt: populus autē iumentis vestes suas cōculcandas obiecit: idque vt ad honorem & gloriam Christi Iesu pertranseuntis vestibus suis viam exornarent. quod admiratione dignissimum fuit. nunquam enim Dauidi vel Salomoni triumphanti talis honor exhibitus est. & tanto mirabilius extitit:quāto magis ex improuiso factum est,Deo ad hoc turbam instigante. Sequitur:

Alij au-

Alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via.] quemadmodum in supplicationibus nostris terram ornare nostrates solent in honorē Dei & sacerdotum transeuntium graminibus, floribus, lauendula, rosmarino & simibus herbis odoriferis.

Hic adijcit Ioannes euangelista capite suo 12. b. quod Matthæus non habet: videlicet, Et turba multa quæ venerat ad diem festum, cùm audissent quia Iesus venit Ierosolymam: acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei. ex quo certissimum est, quod non solum cædebāt ramos de arboribus, vt eos sternerent in via; verum etiam vt eos gestarent manibus euntes per viam. nam gestatio palmarum fuit vsitata Iudæis in argumentum & signum victoriæ: eo quòd palmæ naturam esse quidam scribunt, vt non cedat oneri imposito, sed aduersus pondus surgat. quare eam victoribus tradere consueuerunt veteres, eo quòd hostibus non cessissent. hinc Machab. 13 g. Simon Machabæus cum ramis palmarum, hymnis, & citharis Ierosolymam ingressus est, cùm de hostibus victoriam tulisset, in signum victoriç suæ. Nec hoc solum consuetudinis erat apud Iudæos: verum etiam apud Romanos & Græcos. nam & hi in signum triumphi & victoriæ palmis vtebantur. quod & hic eo nomine factum nemini dubiū est. quia & hic palmæ fuerunt signa triumphi & vexilla victoriæ Christi, qua moriēdo erat mortem superaturus & crucis trophæo de diabolo mortis principe triumphaturus. hinc consuetudo postmodum fluxit per vniuersum Christianismum, vt in die palmarum palmæ circumferātur ad triumphalem victoriam Christi designandam. vnde quoque de his qui hostem in certamine martyrij vicerunt & in patria gaudent, scriptū est apocal. 7. c. & palmæ in manibus eorum: quæ causa est, ob quam Martyres consuetum est ita pingere, vt palmam in manibus ferant.

Ceterum ad hanc deuotionem & honorificam obuiationem commotæ sunt turbæ, potissimum propter miraculum auditum de resuscitato Lazaro. quia secundum Augustinum inter omnia miracula, quæ fecit Dominus noster Iesus Christus, Lazari resuscitatio præcipue prædicatur. Sequitur:

Turbæ autem quæ præcedebant & ſequebantur,] hinc conſtat proceſſiones inſtinctu ſpiritusſancti eſſe ab Eccleſia inſtitutas: & Neochriſtianos male facere reijciendo has ſacroſanctæ Eccleſiæ conſtitutiones. Sequitur:

clamabant,] Cum opere cuncta feciſſent, vocis quoque tribuunt teſtimonium. nam vt prius dictum eſt, duo diſcipuli ex Apoſtolis adduxerunt aſinam & pullum: deinde ijdem & alij cum ipſis impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua & eum deſuper ſedere fecerunt: & ne turba tam pio inſtituto deeſſe videretur, ſtrauit viam veſtimentis ſuis. Alij qui forſan veſtes non habebant, quas Chriſto ſubijcerent, ramos de arboribus cedebant: Partim vt ramis arborum viam exornarent: partim vt in ſignum triumphi & victoriæ eos in manibus portarent. Alij denique qui præcedebant & ſequebantur laudes Chriſto buccis concrepãtibus edebant, adeo vt nemo eſſet qui non vellet & cuperet Chriſto gratificari. hoc ſi aduertitis, fratres chariſſimi, non puto quenquam veſtrum eſſe quin velit & ex animo cupiat Chriſto bonis operibus gratificari. Sicut nemo eſt, quin poſſit ſi velit Chriſto rem gratam exhibere. qui non habet veſtes quas aſino Chriſti ſubijciat, certe vel ramis arborum viam ſternat. quod ſi nec hoc poteſt, ſaltem laudes Deo decantet: vel id faciendi bonam voluntatem habeat, quam Deus gratam habet. Expendant ergo ditiores nomine Chriſti veſtes & theſauros: Expendant mediocres vitæ ſuperflua quamuis exigua: Expendant minores hymnos & cantica. Omnia enim hæc non deſpiciet Dominus. Hic igitur admonemur in cultum diuinum omnia liberè eſſe expendenda. Sequitur:

dicentes, hoſanna filio Dauid:] Hoſanna tantundem ſonat ac ſi dicas: Eia, age ſalua, vel obſecro ſalua. nam hoſanna dictiones duæ ſunt, quarum prior hoſia vel hoſa (vtrunque enim hebraice bene dicitur) imperatiuus eſt tertię hebreorum cõiugationis, à verbo Iaſa (vnde & Ieſus) ſignificans idem quod ſaluum fac, adſis, vel auxiliare: Altera pars ſcilicet, na, eſt particula obſecrãdi: ac ſi dicas, ſaluum fac obſecro. vt habetur Pſal. 117. vnde hæc verba deſumpta ſunt. Ibi enim ſic habetur: O Domine ſaluum me fac, O Domine bene proſperare, benedictus qui venit in nomine

mine Domini. quod alij sic reddunt: Obsecro Domine saluum me fac: Obsecro Domine bene prosperare: benedictus qui venit in nomine Domini. quãuis autem apud Hebræos sit solum vna litera (nun) nihilominus bene pronunciamus per duplicem literam (nun) dicendo Hosanna: quia illa litera (nun) apud Hebræos scribitur per punctum dages.

His præmissis sciendum est hic duplicem esse interpretationem: quidam enim sic intelligunt, vt hæç particula textus (filio Dauid) regatur à dicẽtes: Alij vero vt regatur ab Hosanna. Iuxta primum modum intelligendi hic est sensus: Dicentes filio Dauid, obsecro salua, scilicet nos. Sic intelligũt Beda, beatus Thomas, Ludolphus Carthusian⁹, Lanspergius, & frater Henricus Helmesius: Hieronymus quoque in epistola ad Damasum hoc modo intellexisse videtur. Hi volunt his verbis significari hunc Christum esse verum saluatorem, mediatorẽ & aduocatum apud Deũ patrem, qui propterea venit vt nos faceret saluos: sicut Angelus dixerat ad Ioseph: quoniam ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum: & ipsemet Christus Lucæ 19. filius hominis venit quærere & saluum facere quod perierat. Cui enim, salua, siue, saluos fac nos, clamabant, cum vtique saluatorem credebãt: qualis re vera erat. hinc primæ Ioannis secundo, pater misit filium suum saluatorem mundi propitiationem pro peccatis nostris.

Alij vero intelligunt hęc verba hoc modo. Obsecro saluum fac filium Dauid, vel obsecro adsis & auxiliare filio Dauid: vt ille datiuus (filio Dauid) regatur ab Hosanna. Nam quamuis saluare apud Latinos regat accusatiuum; tamen (Hosa) apud Hebræos datiuo, vel certe quod ei respondet, iungitur. Et secundum hunc sensum idem est ac si dicas: O Deus pater omnipotens obsecro adsis & auxiliare filio Dauid, vt omnia ei succedant ex animi sententia. Hoc & nos cum turba dicere & clamare debemus. nã summis viribus exoptandum nobis est, vt omnia bene cedant filio Dauid & omnia secundum voluntatẽ eius fiant. vt regnum Christi latissime propagetur: regnum vero diaboli penitus eradicetur. vt omnes Christi doctrinam acceptent: Diaboli vero malas inspirationes reijciant. quod

faciunt,

faciunt,qui ex animo cupiunt & dicunt, Sanctificetur nomen tuum,fiat voluntas tua ficut in cælo & in terra &c. Et hic fenfus magis quadrare videtur cum Pfal. 117. vnde hæc verba defumpta funt. nam quod ibi Dauid dicit: O Domine faluum me fac &c. hoc non dicit nifi in perfona Chrifti. quod igitur ibi Chriftus orat pro fe tanquam homo,hoc hic turba defiderat pro eodem. Sequitur:

filio Dauid.] hic eum fatentur effe hominem natum per Mariam virginem ex ftirpe Dauid. Hominem inquã non quemuis: fed illum qui expectabatur ex genere Dauidis venturus in falutem omnium rex & Meffias:in quo agnofceretur (vt inquit Hilarius) æterni regni hæreditas. Hinc Pfal. 131. Iurauit dñs Dauid veritatẽ & nõ fruftrabitur eũ: de fructu ventris tui ponam fuper fedem tuam. Sequitur:

benedictus,] Chriftus dicitur benedictus, non quòd aliqua creatura benedicat ei, ita vt fuis benedictionibus & laudibus Chriftum euehat aut maiorem faciat: nam hoc modo loquendi folum id,quod minus eft à meliori benedicitur: vt dicit Apoftolus ad Hebræos feptimo b. fed dicitur benedictus quia eft gloriofus & inclytus, gratijsque & dotibus infignis. nam Ioan. tefte, plenus eft gratia & veritate. Ioan. 1. Et in eo (vti Paulus ait ad Coloff. fecundo) funt omnes thefauri fapientiæ & fcientiæ abfconditi: nimirum fic plenus omni gratia, vt ab eius plenitudine nos omnes teftetur accepiffe Ioannes. Ioan. 1. Quãdo ergo dicimur benedicere Deum, nõ fignificatur, quod eum laudibus noftris euehimus aut maiorem facimus: fed folũ quod fatemur eum effe benedictum, hoc eft, benedictionibus & gratijs & dotibus ita plenum, vt ab eius plenitudine nos omnes acceperimus. Sequitur:

qui venit,] notanter dicit turba,qui venit, quia Chriftus quotidie expectabatur ab Hebræis venturus. Sic enim & Ioannes per difcipulos fuos Chriftũ rogat. Tu es qui venturus es, hoc eft, qui expectaris vt venias, an alium expectamus, eo quod aduẽtus eius quotidie expectabatur. Venit autem fcilicet Ierofolymam afinis vectus iuxta oraculum quod dominus Deus de Meffia per fanctum prophetam Zachariam tulit. vnde hodie gloriofum legimus domini Iefu introitum in Ierufalem cum multis laudibus & hono-

honoribus populi. Sequitur:

in nomine Domini] scilicet patris sui: & missus & legatus à patre suo, nõ autem à semetipso tanquã præsumptuosus. Nã Deus pater misericordia motus, in ęterno suo consilio decreuerat genus humanũ rursus per Iesum Christũ filiũ suum in gratiã recipere. hinc Paulus ad Galat. 4.a. At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filiũ suum factum ex muliere, factũ sub lege, vt eos qui sub lege erãt redimeret: vt adoptionem filiorum Dei reciperemus. Atque ita à patre missus per carnis assumptionẽ venit in nomine patris sui, vt ipsemet testatur Ioan. 5.g. dicens: Ego veni in nomine patris mei & nõ accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. hoc est, ego veni nominatus & missus & legatus à patre meo & authoritatẽ & potestatem habẽs à patre, qui per me operatur quæcũque ego operor: & non accepistis me. Si alius venerit nominatus & missus non ab alio, sed à seipso, & authoritatem & potestatem, quam prætendet se habere, habens à seipso tanquam præsumptuosus, illum accipietis.

Sentiũt itaque hæ turbæ eũ in nomine Domini venire, & nõ in nomine Beelzebub: eum in nomine Domini eijcere dæmonia, & non in nomine Beelzebub.

Secundum Marcum addiderunt benedictũ quod venit regnum patris nostri Dauid: Iuxta illud Luc. 1. Dabit illi dñs Deus sedem Dauid patris sui & regnabit in domo Iacob in æternum: & regni eius non erit finis. quæ quidem verba non corporaliter vt prædictum est: sed spiritualiter intelligẽda sunt. Christus enim dicitur habere sedem Dauid patris sui & regnare in domo Iacob in æternũ, quia Christus regnat per prędicationẽ, fidem, & gratiam in omnibus pijs ac timẽtibus Deum. quę namque est domus Iacob alia, nisi qui ex Hebræis crediderunt? nec solum illi, verum etiam qui imitantur vestigia patris nostri Abrahæ.

Secundum Lucã & aliam addiderunt laudem dicentes: Pax in cælo, & gloria in excelsis. Ista laus per ora simplicium Spiritussancti instinctu prolata consonat illi, quam angeli in natiuitate eius cecinerunt, dicentes: Gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus. nam pax per eum homini ad Deum, & gloria Deo in excelsis.

Hoc

Hoc honoris dominus Iesus, qui humilis semper vixerat, passus est sibi exhiberi, quò declararet sibi non defuturam fuisse huius mundi gloriã, nisi maluisset eã aspernari, quã amplecti: vnde etiam cum ipsum rapere & regẽ facere vellent, in montẽ solus fugit: quo turpius videtur hãc ab illis desiderari, qui se illius discipulos profitẽtur. quã ille spreuit, qui solus promeruit. nam inter voces laudãtium super ciuitatem Ierusalẽ lachrymas effudisse perhibetur Luc. 19. Ecce qualis conuentio. Turbæ exultabãt: Christus lachrymatur. Illi cantabant: ipse plangebat. Illi flores & ramos spargebant in via: ipse lachrymas. nouerat enim quod in proximo ipsum occisuri essent: quare & ciuitas subuertenda & cuncti disperdendi. Sequitur:

Hosanna in altißimis.] Hic rursus, quemadmodũ prædictum est, duplex est interpretatio. nam quidã volunt quod turbæ acclamauerint filio Dauid, Hosanna in altissimis: ita vt se petierint saluos fieri per filium Dauid, idque in altissimis. nã, vt sciretur de qua salute loquãtur, determinãt inspirati à spiritu sancto, vbi se velint seruari addẽtes in altissimis, hoc est, in excelsis & cælestibus, & nõ in infimis & terrenis. Prçterea profitẽtur à spiritu sancto instructi aduẽtum Messię futurũ salutiferũ non in reb⁹ infimis & mũdanis: sed in cęlestibus. vnde colligitur, ꝙ in inferioribus nõ est salus: sed multiplex periculũ & miseria. In excelsis autẽ salus sine periculo & miseria inuenitur. Ex quo liquet ꝙ hac voce, motione Spiritussanti facta Iesus vere indicabatur esse Deus. nã seruare in altissimis solius Dei est.

Alij vero volunt quod turbæ optauerint Iesu filio Dauid prosperum successum in regno Dauid, & petierint non se seruari, sed filium Dauid: vt hic sit sensus, obsecro saluũ fac filium Dauid, tu qui es in altissimis: nam quamuis Græca exemplaria habeant ὠσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις: tamen hi volunt iuxta phrasim Hebræorum ἐν τοῖς ὑψίστοις accipi pro ὁ ἐν τοῖς ὑψίστοις, hoc est, qui es in excelsis: sicut ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, hoc est, qui es in cælis. Et ergo iuxta horum sententiã sensus est: Saluum fac obsecro filium Dauid: & adesto & auxiliare filio Dauid, tu qui es in excelsis.

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICÆ SECVNDÆ ADVENTVS,

CAPVT PRIMVM.

Euangelium Luc.21.e.f. Matth.24.c. Marc.13.c.

IN ILLO *tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Erunt ſigna in ſole & luna & ſtellis*: quænã ſigna in ſole, luna & ſtellis futura ſint & quando, Chriſtus manifeſtat Matth. 24. dicens: Statim poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcurabitur & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo. Ex quibus verbis colligitur hæc ſigna futura ſtatim poſt tribulationem & perſecutionem per Antichriſtum & falſos Prophetas hominibus inferendam, ante tamen diem extremum. Nam aſſerit quod ſtatim poſt tẽpora Antichriſti hæc ſigna futura ſint, oſtendens non magna temporum ſpacia interfutura. Aliquid tamen temporis interfuturum arguit ſimilitudo ficus & reliquarum arborum poſtmodum ad hoc tempus elucidandum introducta. Aliquid enim temporis intereſt inter tẽpus, quo ramus arboris tener eſt, quo arbores gemmas & folia protrudunt, & inter æſtatem. Atque ita aliquid temporis intercrit licet permodicum inter finem perſecutionis Antichriſti & inter obſcurationem luminarium cæleſtium, nimirum quadraginta quinque dies aut circiter, qui dabuntur ſeductis ab Antichriſto ad pœnitentiam agẽdam: provt catholici doctores ex capite prophetiæ Danielis duodecimo aſſerunt.

Quibus diebus elapſis ſol & luna & alia cæli luminaria (vt hic aſſerit Matthæus) aliquãto tempore ante diem iudicij ſui luminis priuatione ad terrorẽ hominum diuina & ſupernaturali virtute obſcurabuntur officij ſui finẽ oſtendentia, diem iræ, diem calamitatis & miſeriæ, diem magnam & acerbam valde (vt Eccleſia canit) adeſſe indicantia,

cantia, & tristi habitu iram Dei præ se ferentia. Sicut Ioel testatur secundo capite suæ Prophetiæ, dicens: Sol conuertetur in tenebras & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Dies iste magnus & horribilis, dies extremus est: qui merito hic (vt alias in scripturis sæpius) dies Domini nũcupatur. quia in eo Pater omne iudicium dedit Filio. Antequã igitur veniat ille dies Domini magnus & horribilis ista signa futura sunt. quemadmodum & Ioannes testatur Apocal. 6. d. dicens: Ecce terræ motus magnus factus est & sol factus est niger tanquã saccus cilicinus:& luna tota facta est sicut sanguis, & stellæ de cęlo ceciderunt super terrã: adeo vt tunc futuræ sint densissimæ & quasi palpabiles tenebræ & ineffabiliter horrendæ. Hoc autem futurum est nõ per nubes, nec per Eclypsim, quomodo de sole constat factum tempore dominicæ passionis (nam duo ista luminaria mundi sol & luna simul Eclypsim pati nõ possunt) sed supernaturali & miraculosa obscuratione. Alioqui signa & prodigia nõ essent. siquidem quæ modo fiunt naturali, signa aut prodigia dici nec debẽt nec possunt. Ista autem quia supernaturali & miraculoso fiunt modo, quid ni & signa & prodigia dicerentur? Si enim tenebras semper comitatur terror, quid futurum est dum tales & tantæ futuræ sunt tenebræ? An non horror supra quam dici possit, tũc hominibus per illas incutietur? quid enim talibus horribilius tenebris?

Porro veniente ad iudiciũ Domino in potestate & maiestate magna in die iudicij sol & luna, reliquaque cęli luminaria obscurari dicuntur, non quidem luminis sui priuatione aut diminutione, quemadmodum ante diem iudicij: cum tunc sol & luna septuplo plus luminis habitura sint. nam si tunc (sicut equidem non dubito) sancti comparebunt cum corporibus gloriosis, cum quibus resurrexerunt, vt docet Paulus prioris ad Corinth. 15. f. dicẽs, seminatur in ignobilitate, surget in gloria: quid ni etiã tunc omnia alia essent renouata & glorificata? Aut quare tunc potius renouata essent sanctorum corpora, quàm sol & luna, & reliqua alia omnia? Erit igitur & tunc vniuersa creatura libera à seruitute corruptionis: iuxta illud ad Rom. 8. d. Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertate

bertate gloriæ filiorum Dei. quod beatus Ambrosius sic exponit: Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, cum filij Dei incorruptionis statum adepti fuerint. quod autem & tunc sol & luna sint septuplo plus luminis habitura, certissimum est. nam habemus Esaiæ 30. f. Erit lux lunæ, sicut lux solis: & lux solis septempliciter. Vnde manifestum euadit obscurationem illam luminarium cęlestium tunc non futuram luminis ipsorum priuatione, quemadmodum ante diem iudicij, sed superueniente maioris luminis claritate. quemadmodum enim in hoc seculo luna & sydera orto sole mox obfuscantur: sic etiam in gloriosa Christi apparitione sol obscurabitur & luna non exeret proprium iubar, nec stellæ apparebunt. Comparatione enim veræ lucis omnia alia nobis apparebunt tenebrosa. hinc Esaiæ 24. d. Erubescet luna & cõfundetur sol, cum regnauerit Dominus exercituum in monte Sion, & in Ierusalem, & in conspectu senum suorum fuerit glorificatus. Sequitur:

& stellis.] nam (vt inquit Dominus Matth. 24. c.) stellæ de cælo cadent. dicuntur autem de cælo casuræ non realiter, quantum ad substantiam earum attinet, cum hoc sit impossibile: quandoquidem his capiendis terræ magnitudo nequaquam sufficeret: sed quantum ad apparētiam. nam astra, eo quòd vehemēter multæ igneę exhalationes, quas stellas volantes appellant, de cælo in terram decidēt, cadere videbuntur. Vel dicuntur de cælo casurę, quantum ad luminis subtractionem. Ex eo enim quod semotis nubibus stellæ non videbuntur, putabuntur amplius non esse in cælo & in terram decidisse: maxime ob id, quod tam multæ impressiones metheoricæ terribilibus flammis lucentes in terram prius deciderint. Sequitur:

& in terris pressura gentiũ præ confusione,] hoc est, & in vniuersis regnis, prouincijs, & ciuitatibus erit pressura gentiũ, hoc est, coarctatio gentium præ perturbatione. nam Græcus textus sic habet. Καὶ ἐπὶ τῆς γῆς συνοχὴ ἐθνῶν ἐν ἀπορίᾳ, hoc est, & super terram coarctatio gentium per consilij inopiam & perturbationem. & si sic intelligatur Euangelij textus, tunc illa textus particula (prę confusione) iungitur verbis Euangelij præcedētibus: vt in terra intelligatur fu-

tura pressura gentium per desperationem & consilij inopiam, dubitationemque. quamuis autem ἀπορία omnia Græca, quæ hactenus vidi exemplaria habeāt: Euthymius tamen legisse videtur ἀποῤῥοία, hoc est, defluxu & effluxu, & iungit verbis Euangelij sequentibus: vt intelligatur sonitus maris & fluctuum peruenire per defluxum & effluxum, vt hic sit sensus: Et in terra pressura gentium sonante mari & fluctibus per defluxum. Verum misso hoc sensu priorem approbamus, quod ille à pluribus tam Græcis quàm Latinis acceptetur doctoribus. Quapropter legi debere ἐν ἀπορίᾳ, hoc est, per desperationem & consilij inopiam asserimus: quam & vocabulum confusio, quo vsus est noster interpres, aptè significare potest. nam cōfundo, hoc est, perturbo & opprimo. vnde & confusio perplexitatem & oppressionem hic designat.

Ceterum hæc perturbatio, consilij inopia & perplexitas proueniet imprimis ex hęresibus. Nam (vt ait Chrysostomus) sicut homo vicinus morti multas patitur phantasias: sic mundus circa sui finem multos patietur errores. Hinc dominus Matth. 24. a. Videte ne quis vos seducat. multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, & multos seducent.

Deinde ex bellis & seditionibus, vnde interrogatus dominus Matth. 24. a. quod esset signum aduentus sui, & consummationis seculi, respondit: Audituri estis prœlia & opiniones prœliorū: Videte ne turbemini. Oportet enim hæc fieri, scilicet ante nouissimum diem; sed nondū statim finis, scilicet mundi veniet. Consurget gens in gentem & regnum in regnum. Porro de domesticis tūc seditionibus apud Marcum capite 13. b. dicitur: Tradet autē frater fratrem in mortem & pater filium: & consurgent filij in parentes, & morte afficient eos. quæ omnia maximam perplexitatem & turbationem hominibus efficient. Nam maiorem dolorem mala afferunt, quæ à sanguine propinquis ingeruntur.

Tertio ex fame, quæ bellis & seditionibus succedere consueuit, quæ tunc eo grauior ingruet, quo maiora fuerint bella & seditiones. Si ergo tempore obsidionis Hierosolymitanę (vt Iosephus scribit) Iudęi præ penuria proprium

prium fimum & filios comederint: quid putatis futurum esse quando omnia vndique bellis deuastabuntur?

Quarto, orietur hæc perplexitas ex pestilentijs & morte hominum subitanea.

Quinto, ex terræ motibus, qui tunc adeo magni futuri creduntur vt ædificia omnia ruitura sint: & omnia ossa mortuorũ è terra eruta iaceant super sepulchra. hinc Gregorius: Vltima sane tribulatio multis tribulationibus præuenitur: & per crebra mala quæ præueniunt, indicantur mala perpetua, quę subsequuntur. & ideo post bella & seditiones non statim finis: quia multa debent mala præcurrere, vt malum valeant sine fine nunciare. vnde perspicuum euadit quod tunc erit tribulatio talis, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet: vt quod prius in destructione Hierosolymitana particulariter super Iudæos factum seruator asserit, hoc in fine mundi omnibus euenisse intelligatur. Denique hæc animi angustia causam habebit sonitum maris & fluctuum. hinc sequitur:

Sonitus maris & fluctuum:] hic Græca exẽplaria habent: ἠχούσης θαλάσσης καὶ σάλου, quod bene explicant Theophylactus, Euthymius, & omnes Græci hoc modo: sonante mari & fluctu, vt illi genitiui sonitus, vel potius (vt habent Græca) sonantis maris & fluctus accipiantur nõ tanquam recti à dictione præcedente, sed quemadmodum apud Latinos ablatiui absolute positi. In qua re Græci coguntur vti genitiuo loco ablatiui, eo quod ablatiuo careant. quod interpres vel non animaduertit vel in ea re cõniuere voluit, nescio quo cõsilio vsus. nam non secus collocauit genitiuos illos, sonantis maris & fluctuum, atq; si à dictione immediate præcedente regerentur: cum tamen si Græca exẽplaria inspiciamus, longe aliter se res habeat.

Ceterum sonitus iste maris causabitur ex inundatione maris & fluctuũ. nam mare subinde supra quàm dici possit eleuabitur, & subinde deprimetur in inferiora & interiora loca terræ, non secus atque si amplius non esset, iuxta illud Apocal. 21. a. mare iam non est, hoc est, secundum priorem statum defecit. vnde generabuntur fragores maximi & horribiles. hinc Dauid Psal. 92. Eleuauerunt flumina Domine: eleuauerunt flumina vocem

ſuam. Eleuauerunt flumina fluctus ſuos à vocibus aquarum multarum.

Si roges, vnde inundationes iſtę futurę ſunt: Reſpõdeo, ex fortiſſimis ventis. Tunc enim fortiſſimi venti creduntur excitandi, à quibus aquæ concitabuntur: tunc piſces quoque, iuxta ſententiam Hieronymi, maxime eiulabunt. Sequitur:

areſcentibus hominibus præ timore] ſcilicet malorum præſentium. vnde colligitur quod etiam electis, qui hîc hominum nomine nobis ſignificantur, timor vehemens incutietur. fragilior ſiquidem humana conditio eſt, quam vt tantam elementorum diſſolutionem etiam virtutes cælorum moturam infracto animo perferre poſſit. Hinc Iob 14. ſuo capite c. dicit: Quis mihi hoc tribuat vt in inferno protegas me & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus & conſtituas mihi tempus, in quo recorderis mei? Sanctus enim in iudicium mauult reſurgere, quàm in tẽpus diuinæ iracundiæ, quæ terribilis etiam innocentibus eſt. Sed his erit dolor ille in ſatisfactionem: reprobis vero ad cumulum damnationis. Omnes igitur homines & electi & reprobi extabeſcent & exanimabũtur metu & anxietate, efficienturque aridi, macri, exangues, & pallidi, quia ſicut iucunditas & ſecuritas mentes hominum reficiunt & roborant; ita quoque triſtitia & timor eas debilitant & exiccant: iuxta illud Prouerb. 17. d. Animus gaudens ætatem floridam facit: Spiritus triſtis exiccat oſſa. Et non ſolum homines, ſed etiam omnes plantę & arbores in terrã redigentur, & deſinent eſſe quod fuerunt. quia tamen nihil ſubito perit, ſed vnumquodque ſe quantum poteſt cõſeruare nititur, ideo magna preſſura ad hoc opus erit. Videmus namque virentia quæque quantopere, vt ſuam retineant vitam, conẽtur ſe tueri. videmus & vniuerſa animata ſenſibilia, quantis viribus vt ſe conſeruent digladiẽtur, adeo vt nihil habens vitam perire ſe ſinat, ſed ſe quãdiu poteſt conſeruet. nihilominus tamen quia omnem creaturam interire neceſſe eſt, id fieri haudquaquam poterit abſque magna preſſura & violentia. hinc ſequitur:

& expectatione] ſcilicet malorum adhuc reſtantium & futurorum, *quæ ſuperuenient vniuerſo orbi.*] vnde manifeſtum eſt me-

est metuenda hæc mala, quę hic prędicuntur, nō in aliquo terrarum angulo sed in vniuerso mundo futura, adeo vt nullus futurus sit effugij locus. quod autem homines sic pauebunt vt arescant probat Saluator dum subdit:

Nam virtutes cælorum mouebuntur.] hoc est, nam corporeæ istæ cælorum vires & potentiæ cælestium corporum actiuæ, quæ & ipsum mouent cęlum & inferiora hæc omnia regunt & omnes reliquas creaturas virtute superant, mouebuntur, hoc est, mutabuntur à solitis actionibus & influentijs & impedientur ne influant in inferiora & immutent illa. Absoluentur enim in altero seculo à ministerio, quo Deo circa sensibilia corpora secundum corruptionis statum seruiunt, vt potiorem statum attingant. quam ob causam maximus futurus est defectus in omnibus terræ fructibus, nec tantum inde fames sed & omne morbi genus promanabit.

Vel, mutabuntur, hoc est, concutientur, & huc atque illuc agitabuntur quasi ante creatorem suum trepidantes: non secus atque videmus iam maris & fluminū vndas huc atque illuc ventorum decertantium inter se violentia agitatas atque concussas. quid itaque mirum, si homines ita expauescant vt præ timore aridi & exangues efficiantur?

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICAE SECVNDAE ADVENTVS CAPVT SECVNDVM.

NAM *virtutes cælorum mouebuntur.*] Vel per virtutes intelliguntur non potentię actiuę cælestium corporum, sed Angeli vnius ordinis specialis. nomen enim virtutum vni ordini Angelico appropriatur, qui secundum Dionysium capite 11. cęlestis Hierarchię est medius secundæ Hierarchię: secundum Gregorium vero est supremus infimę Hierarchię. Ordo autem ille appellatur virtutes quia diuinam quandam & inconcussam ostendit fortitudinem nec habet potentiam limitatam. quare eius ministeriū est fortia exercere opera, facere miracula, & corpora cęlestia,

quæ causæ sunt vniuersales eorum, quæ in natura inferiori aguntur, mouere: quo nihil in exterioribus ministerijs maius esse videtur: quod & ipsum nomen sonare certum est, quia virtutes cælorum dicuntur. Si autem hoc modo nomen virtutum accipiatur, tunc ordo ille dicitur moueri: Vel quia secũdum Gregorium illi attribuitur miracula facere, quæ maxime circa illud tempus fient. nam in extremo iudicio præ solito se ille ordo extendet & procedet ad faciendas miraculorum operationes, ac varias trãsmutationes: Vel quia secundum Dionysium ab effectu suo & opere cessabit & vlterius cælestia corpora non mouebit. sicut nec angeli, qui ad custodiam hominũ deputati sunt, vlterius custodiæ officio vacabunt.

Vel per virtutes intelliguntur secundũ sententiã Chrysostomi & Gregorij vniuersi angelici Spiritus, iuxta illud Psal. 102. Benedicite Domino omnes angeli eius: Potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius. vt hic sit sensus, virtutes, hoc est, angeli, archangeli, virtutes, potestates, principatus, dominationes, throni, Cherubini & Seraphini mouebuntur, hoc est, timebunt & expauescent, non quidem metu damnationis, nec timore proprie dicto quo quis timet à Deo puniri vel separari, eo quod sint beati & securi de sua salute, impassibiles quoque: impassibiles autẽ, quia pati nequeunt, ideo malum pœnæ non expauescunt: sed timebunt timore reuerentiali. Videntes enim tantã venturi iudicis iram, tantam diuinæ iustitiæ censuram, tantam impiorum damnandorumque multitudinem, eorumq; calamitatem, expauescent, quadam se reuerentia erga suum iudicem inclinantes, Sicut terretur & timore commouetur innocens scholaris, quando socios pœnas dare intuetur, quamuis sibi nullius sceleris conscius sit. vnde Iob cap. 26. c. dicitur: Columnæ cæli contremiscunt & pauent ad nutum eius. quid enim mirum (inquit Beda) homines ad illud iudiciũ perturbari, cuius aspectum & ipsæ angelicæ tremunt potestates? quid faciunt ibi tabulæ, quando tremunt columnæ? quid virgula deserti patitur, cum cedrus paradisi concutitur? quid miseri mortales facturi sunt, quando angeli timebunt? quid mirum si homines arescant præ timore,

quan-

quando cælestes creaturæ tremunt & mouentur?

Vel vniuersi angelici Spiritus mouebuntur, hoc est, mirabuntur quadam admiratione eorum, quæ videbunt: Videntes enim vniuersa commutari, omnem orbem terribili tribunali assistere & omnes qui ab Adam vsque ad aduentum illum facti sunt rationem vitæ reddere, summopere proculdubio admirabuntur. non quidem admiratione ex ignorantia proueniente (quid namque esse poterit, quod eos lateat, qui videntem omnia vident) sed ex incõprehensibilitate operum Dei. nam admiratio solet esse nõ solum de his, quæ nostram cognitionem excedunt, verum etiam de his, quæ nostram facultatem superant. Admirabuntur itaque diuinam virtutem tanta & talia facientem, qualia ipsi imitari & comprehendere non possunt.

Vel vniuersi angelici Spiritus mouebuntur, scilicet ad vltionem inimicorum & motũ vindictæ respectu dãnandorum. Si enim rege terreno ad vltionem inimicorũ surgente totus commouetur exercitus, tota ciuitas feruet: quanto magis cælorum rege surgente ad iudicãdos viuos & mortuos virtutes cælorum mouebuntur?

Deligat sibi diligens lector quam maluerit ex his interpretationem. Omnes enim autenticæ & catholicæ sunt. nec est verisimile solummodo hoc aut illud euenturũ: sed potius omnia, quorum hæ interpretationes mentionẽ faciunt, certissimè euenient.

Post hæc exurget quoque ante illud horrẽdum domini iudicium ignis, qui omnia vsq; ad medium spaciũ aëris, quousque tempore diluuij aquæ eleuatæ erant, exusturus est. hinc Deut. 32. d. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima: deuorabitque terram cum germine suo & montium fundamenta comburet. Et Psalm. 49. a. Ignis in conspectu eius exardescet: & in circuitu eius tempestas valida. qui quidem Psalmus expressissimè cõscribitur saltem ex parte de postremo Christi aduentu & extremo iudicio. Deinde posterioris ad Thessal. 1. c. Reuelabitur dominus Iesus de cælo cum Angelis virtutis eius in flamma ignis dantis vindictam ijs, qui non nouerunt Deum. Denique secundæ Petri tertio: Cæli qui nunc sunt & terra eodem verbo repositi sunt, igni reserua-

ti in diem iudicij & perditionis impiorum hominum. & paulo post: Aduenict dies Domini sicut fur, in quo cæli magno impetu transient: elementa vero calore soluētur. terra autem & quæ in ipsa sunt opera, exurentur. quæ profecto Petri verba intelligenda nõ sunt de cęlis sphęricis & sidereis; sed dũtaxat aëreis: nõ supmis, sed imis & infimis. nam hi post diluuium repositi sunt, nõ supremi illi, in quibus sol, luna, & sidera sunt cõstituta, nec supremi aërei cũ ad illos non peruenerint aquæ diluuij. Intelligi igitur hęc Petri verba debent de cælo aëreo quod terræ vicinum est. vnde & aues cæli nominamus, quas super aëra volitare cernimus. & pluuia de cælo cadere dicitur, cum vtique de nubibus, quas cernimus, pluat. Aliter accipiuntur cæli in fine huius Euangelij vt ex interpretatione illius loci colligere licebit.

Sed dices: si ignis cõflagrationis totius inferioris mundi futurus sit ante iudicium: ergo adueniente Domino ad iudicium nullus reperietur viuus, qui rapiatur obuiam Christo in aëra: nimirum cum per ignem illum omnes qui reperiētur viui, morituri sint. quod si ita se res habeat, ergo nullus reperietur viuus: quod est contra Apostolum prioris ad Thessal. 4. d. vbi ex persona illorum viuorum Apostolus dicit: Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Domino in aëra & sic semper cum Domino erimus. Respondeo quod quamuis tunc nullus reperiatur viuus, tamẽ hoc nõ est cõtra sententiam Apostoli. Nam iuxta sententiam Apostoli illi dicuntur reperiri viui, qui vsque ad tempus conflagrationis, in corpore viuent. Certum est enim, quod antequam Dominus veniet ad iudicium, omnes homines necesse est mori. iuxta illud ad Hebr. 9. g. Statutum est omnibus hominibus semel mori: post hoc autem iudicium. Deinde necesse est & omnes ante iudiciũ resurgere: quod vel ex symbolo Athanasij manifestum euadit, qui sic habet: Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis & reddituri sunt de factis proprijs rationẽ. quod fieri non posset nisi mors præcessisset, quomodo enim resurgerent qui priùs mortui non essent. Electi autem resurgent

gent cum corporibus gloriosis, vt asserit Paulus prioris ad Corinth. 15. f. dicens: Seminatur in corruptione: surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate: surget in gloria. Seminatur in infirmitate: surget in virtute. Seminatur corpus animale: surget corpus spirituale. vnde certissime colligitur ignem conflagrationis præcedere mortuorum resurrectionem. Nam per ignem illum purgabitur, si quid in aliquibus sit purgandũ. quia debet vniuscuiusque opus probari & purgari per ignem, vt electi sistantur & præsententur iudici in iudicio plane purgati & mundati. hinc Malach. 3. a. Ipse sedebit conflans & emundans argẽtum & purgabit filios Leui: & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum. Ex quibus omnibus certissimum apparet quod illi vocantur ab Apostolo viui, qui vsq; ad tẽpus conflagrationis mũdi in corpore viuent. Quod aũt dicitur venturus iudicare viuos & mortuos, non ita accipiendũ est quasi in iudicio aliqui futuri sint, qui prius mortui nõ fuerint: sed hoc asseritur, quia quotquot nunc viuũt & viuẽt, iudicabit Dominus, sicut & mortuos: sed cũ iudicabit, oẽs iã experti erunt mortẽ. Imo vero si tẽpus iudicij consideretur, nullos iudicabit nisi viuos. Omnes enim tunc viuẽt: nisi per viuos intelligere velimus iustos, per mortuos autem peccatores.

Rursus hic aliqua interserenda sunt, quæ Matth. 24. c. describuntur, vt omnia suo ordine expẽdamus. habet itaque ibi Matthæus:

Et mittet Angelos suos,] quamuis ibi Matthæus præmittat: Et tunc parebit signum filij hominis in cælo: Et tunc plangent omnes tribus terræ & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & maiestate: tamen antequam hæc futura sint, mittet Angelos suos cum tuba & voce magna. vt habet Euthymius Matth. 24. dicens: Priusquam appareat Crux, mittet eos. vnde manifestum est Matthæum hæc suo ordine non collocasse, nec Marcum quoque: Istud enim futurum est ante mortuorum resurrectionem. Deinde subiungit Matthæus:

cum tuba & voce magna.] vbi Græca exemplaria habẽt: μετὰ σάλπιγγος φωνῆς μεγάλης, qui sermo anceps est. nam vel significat cum tuba vocis magnæ, vt intelligas tubam vocalem & procul sonantem: vel cum tubæ voce magna,

vt intelligas vocem hanc magnam qua resuscitabuntur mortui, per tubam edendam. futuram autem & vocem tubæ testatur Apostolus prioris ad Thessal.4.d.dicens: Quoniam ipse Dominus in iussu & in voce archangeli & in tuba Dei descendet de cælo. quorsum enim futura pręsentia tubæ describeretur, nisi vox archangeli per tubam edenda foret? quæ omnia iuxta græcorum sententiam intelligenda sunt non de tuba tropica & figurata, sed de proprij nominis tuba & sono tubę. sicuti Angelus loquebatur Marię proprie, non per signa, nam Paulus dicit expresse prioris ad Corinth. 15. g. Canet enim tuba. Latini tamen interpretes longe aliud sentiunt. Verum missa eorum interpretatione, græcorum in hac re approbamus: quod ea magis scripturæ conformis videatur.

De hac voce tubæ Chrysostomus in opere imperfecto super Matthæum sic habet: Verè magna vox tubæ terribilis, cui omnia obediunt elementa, quæ petras scindit, inferos aperit, clausuras tenebrarum pertransit, portas æreas conterit, vectes adamantinos & ferreos confringet, vincula mortis dirumpet, & de profundo abyssi animas liberatas, corporibus suis assignat. hęc omnia citius consumet in opere quā sagitta transit in aëre; dicente Apostolo prioris ad Corinth.15.g. In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti. Per illam vocē puluis iam dissolutus corporum mortuorum in noua membra constringitur. Per illam vocem quasi vna persona obnoxia totū mare discutitur, vt si quid apud se retinet de humanis ossibus, sine contradictione restituat. hinc Apocal.20.d. Dedit mare mortuos, qui in eo erant, & mors & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant, & iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum. Sequitur in Matthæo.

& congregabunt electos eius,] scilicet & reprobos. Nam tuba mortuos excitabit omnes: excitatos autem congregabunt Angeli: congregatos vero rapient nubes in occursum Domini in aëra. sicut dicit Paulus prioris ad Thessal. 4. quod autem etiam peccatores congregabuntur ab Angelis docet Christus, Matth.13.dicens: Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno ipsius omnia scandala

dala & eos qui operantur iniquitatem. Matthæus tamen hoc in loco solummodo electorum meminit, quia hi & prius & maiori cum honore & reuerentia ad iudicium adducent. nam antequam illi colligantur, rapientur hi in nubibus in occursum Domini in aëra. Illi vero deorsum relicti, quasi indigni colligentur posteaquam Christus descenderit. Sequitur in Matthæo:

à quatuor ventis.] hoc est, à quatuor mundi principalibus extremitatibus, oriente, occidente, aquilone & austro, per quas intelliguntur aliæ extremitates orbis minus principales. Et ne forte aliquis putaret quòd solummodo congregabunt electos eius ab extremis partibus terræ, non etiam à mediterraneis regionibus & locis, ideo addit Dominus apud Matthæum:

à summis cælorum vsque ad terminos eorum.] hoc est, à quocunque loco terræ vnde cæli altitudo nobis maior apparet, vsq; ad loca terræ vbi cæli vidētur finiri & terminari. Apparet aūt nobis cælū altius in loco terrę, etiā quocunq;, in quo quis steterit: quia vbicunque steterit quis, apparet ei quod cælū altius est super Zenith capitis sui quàm alibi. nam quo remotius respicit, eo magis videtur ei cælum declinare & terminari. Et ob id terminos cælorum appellat loca terræ, circa quæ visus noster finitur, nam ibi videtur cælum terræ coniungi & terminari, quasi esset corpus semicirculare: cum tamen sit sphæricum vbique æque remote distās à terra. Profert itaque ista seruator noster verba iuxta nostram apparentiam, non autem rei veritatem. Nam iuxta rei veritatem cælum vbique æqualiter distat à terra. Proinde asserere vult seruator noster omnes vndique congregandos.

Tunc ergo omnes mortui resurgent & ab omnibus totius terræ locis ad hoc conuenient iudicium tremendum & horribile: vnde tunc implebitur, quod dicit Apostolus ad Rom. 14. b. Omnes stabimus ante tribunal Christi.

ENAR-

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICAE SECVNDAE ADVENTVS, CAPVT TERTIVM.

CETERVM quẽadmodum ingrediente rege ciuitatem exercitus antecedit,qui ſigna & vexilla regalia pręferẽs annunciat regis introitum:Ita Dño deſcendente de cælis præcedet exercitus angelorũ & archangelorum,qui ſignum filij hominis vt triumphale vexillũ pręferẽs magnificum cæleſtis regis ingreſſum, hominibus in terra tremẽtibus annunciabit.Hinc ſequitur hic,ꝙ tamen pręcedit in Matth. eo ꝙ non oĩa ſuo ordine collocarit,vt prędictũ eſt:

& tunc parebit ſignum filij hominis,] hoc eſt, crux Chriſti. ſiquidem vniuerſa teſtatur eccleſia crucẽ eſſe ſignum filij hominis,quãdo cantat. hoc ſignũ crucis erit in cælo,cum Dñs ad iudicãdum venerit.Proponetur igitur crux Chriſti imprimis in ſignum mortis filij hominis,& in ſignũ,quod ille ipſe iudex venturus eſt,quẽ Iudæi quidẽ crucifixerunt, reliqui vero reprobi contẽpſerunt.Proponetur inſuper in ſignum victoriæ Chriſti, tanquã quo mundum & diabolũ vicit, mortẽ ſuperauit, peccatum mortis cauſam dãnauit, infernum cõfregit:chyrographum mortis, ꝙ erat contrarium nobis,cruci affixit:quo oẽs electos ſuos colligit:quo eoſdem in frõte ſignauit:quod omnes iuſtos voluit poſt ſe portare.Et ob id crux,quæ hic maledicta eſt,quæ hic pœnalis eſt,quę hic nõ videtur gaudij eſſe, ſed mœroris, illic glorioſa erit,illic copioſũ fructũ reddit exercitatis per eã.

Vel per ſignũ filij hominis intelliguntur & alia paſſionis Chriſti & noſtrę redẽptionis arma,vt ſunt columna,ligamenta,flagella,ſpinea corona, claui,& lãcea. Adueniet enim Chriſt⁹ in iudiciũ nõ crucẽ ſolũ, ſed & alia paſſionis ſuæ ſigna oſtẽdens,acerbiſſimũ quoq; & ignominioſiſſimũ & exꝓbratiſſimũ mortis ſuæ gen⁹ oĩbus ob oculos ponẽs.

Vel per ſignum filij hominis intelliguntur vulnerũ eius cicatrices & ſtigmata.Vel ipſemet Chriſtus in corpore ſuo habens teſtimonia paſſionis, videlicet vulnera clauorũ,lãceæ,& flagellorũ,vt impleatur illud quod dictũ eſt: Videbunt in quẽ pupugerunt.Verũ illud poſtremũ nõ ita cõuenienter dici poteſt. nã ſi ſic intelligeretur,tũc apud Matth.

idem

dē significaretur per signū filij hominis & filiū hominis, quod absurdū videtur. nam cū dixit: & tunc parebit signū filij hominis in cælo, aliud dixisse videtur ab eo, ꝙ in eodē immediate sequitur, & videbūt filiū hominis venientē &c. ne idem bis sine causa dixisse asseratur. nisi velim⁹ dicere per signum filij hoīs & filiū hominis idē significari sub diuersa ratione, nec hoc inconueniens esse. Sequitur in Matthæo:

in cælo] scilicet aereo, vbi Christ⁹ ad iudicandū sedebit. Ibi enim crux, reliquaque passionis eius arma & vulnerū cicatrices sole lucidiores apparebunt, vt Iudæis indicetur tunc Iesum esse iudicē, quē ipsi occiderūt. Sicut enim veniente Dño ad iudiciū sol, luna & reliqua cæli luminaria obscurabuntur superueniēte maioris luminis claritate: ita quoque in die iudicij signo filij hominis apparēte in cęlo, deficiet lumē solis, lunę, & stellarū quasi cōsumptū ex multa virtute luminis signi illius: quia solarib⁹ radijs multo luculētius erit, suoq; splēdore superabit. Sequitur in Matth.

& tunc plangent omnes tribus terræ:] hoc plane eodem modo habetur Apocal. 1. b. hoc modo: Et plangent se super eum omnes tribus terræ.

Tunc igitur scilicet visa cruce, reliquisque passionis Christi armis plangent omnes tribus terræ, plangent Iudæi, plangent gentiles, plangent Christiani, qui magis dilexerunt mundum quam Christum. vnde recte dicit tribus terræ. hi enim plangent, qui terrena dilexerunt & ea Deo præposuerunt, quique municipatum non habentes in cælis scripti sunt in terra, hoc est, mali & reprobi de quibus Hierem. 17. Recedentes à te in terra scribentur. hi enim soli & omnes plangent, idque adeo vehementer, vt Sapiens Sapiē. 5. de illis asserere ausus sit quod turbabuntur timore horribili præ angustia spiritus gementes. quia tunc nec pœnitendi est locus, nec resistendi virtus, nec fugiendi facultas, tunc nec diuitiæ liberare, nec aliqua in re prodesse possunt. tunc nec iusti parentes pro filijs, nec angeli pro hominibus intercedunt. Non enim recipit natura iudicij misericordiam. vnde perspici quam facillime potest, quantus tunc malis sit horror futurus, quando horribilia ipsis parata ante oculos intuebūtur tormēta, à quibus liberari eis nihil erit spei reliquum. Plangent igitur

omnes,

omnes plangent inquam vehementissime. Alia enim ex causa Iudæi, qui crucifixerunt Christum, alia ex causa reliqui reprobi. Iudæi quidem, eo quod quem adorare oportebat, cruci affixerunt. hinc Zach. 12. c. Et aspicient ad me, quem confixerunt & plangent eum planctu magno, quasi super vnigenitum. Reliqui vero reprobi, eo quod cruci affixum, quem in summo precio habere necessarium erat, contempserunt. nam vnusquisque horum mentis intuitu mira celeritate cernet nõ solum sua, verũ etiam omnium malorum demerita: iuxta illud Pauli prioris ad Corint. 3. c. Vniuscuiuscunque opus manifestum erit, dies enim Domini declarabit. Non enim ideo cognoscemur minus, quia magna est malorum multitudo, nimirum cũ ita singulorũ peccata & scelera ab omnibus cognoscenda sint atq; si ipsi soli ab omnibus essent intuendi. O quantus pudor, o quàm intolerabilis confusio omnibus illis, quorũ hic peccata tecta non sunt. vnde manifestum est quibus pijssimus Iesus formidandum seculi finem, quibus metuẽdum suum prædicit aduentum, nempe his, qui amici sunt huius seculi, qui filij sunt mundi, qui pręsentia amant, qui caducis his rebus, neglectis supernis, animo inhærent: vt præ oculis habẽtes horribile hoc iudicium, resipiscant; & ne tunc quando serius esset, plangere inter tribus terrę cogantur.

Econtrario lætabuntur omnes recti corde; pij, & boni: qui tunc stabunt in magna constãtia aduersus eos, qui se angustiauerunt & abstulerũt labores eorum; Sapien. 5. Et peracto iudicio cęlum conscendent ad confitendum in perpetuum nomini Domini. Quapropter beati qui hic lugent, quandoquidem illic consolabuntur.

Hæc quoad verba Matth. quæ omisit Lucas, dicta sufficiant. vnde rursus ad Lucæ Euangeliũ elucidandum accingimur. Sequitur in Luca:

& tunc videbunt filium hominis] & tunc, hoc est, post hæc, vt significet exclusionem prioris temporis. non enim significatur aduentus Christi tunc futurus, quãdo ista prædicta signa in cælo, astris, terra & mari apparebũt, sed post hæc. ne tantus tanti Domini aduentus citra tanta signa & præludia irrepat.

Tunc

Tunc igitur videbunt filium hominis omnes tam mali quàm boni. nam tunc, instar solis, cum malis, tum bonis ex æquo omnibus rex noster ille conspicuus erit. iuxta illud Apocal. 1.b. Ecce venit cum nubibus & videbit eum omnis oculus: & qui eum pupugerunt. nam omnes mortui tunc erunt resuscitati vt prędictum est, atque ad locum iudicij angelorum ministerio adducti. Erit itaque Aduentus iste manifestus, non occultus quemadmodum aduentus in carnem, qui manifestari debebat tum per Angelos, tum postmodum per stellam.

Quamuis autẽ omnes eum manifestissime visuri sint, hoc tamen cum discrimine fiet: nam boni videbunt gloriã eius cum inenarrabili gaudio & lætitia. hinc Esaiæ. 33. Regem in decore suo videbũt. mali autem humanitatem quidem illius intuebuntur, sed non gloriam. hinc Esaiæ 26. Impius non videbit gloriam Domini. nam eum videre non poterunt mali, nisi secundum formam, qua filius hominis est: nihilo minus tamen videbunt eum cum claritate, in qua iudicabit: non autem cum humilitate, in qua iudicatus est. quia, vt supra dicitur, Christus apparebit sicut fulgur. fulgur autem splendorem causat. vnde apparebit illis cum claritate, in qua iudicabit. quod etiam nobis innuitur per hoc, quod dicitur in maiestate venturus. nam inde colligitur quod apparebit omnibus in forma gloriosa. Radiabit enim amplius sole: quemadmodũ prædictum est. Atque ita futurum est vt ab omnibus agnoscatur, propter maiestatem, in qua apparebit.

Ne quis tamen existimet malos ex huiusmodi visa claritate, aliqua lætitia recreandos, sciendum est quod quãuis mali formam eius humanam visuri sint cum maxima & inenarrabili claritate; tamen eam sic videntes trepidabunt plurimum: mallentque omne tormentum sustinere, quàm faciem irati iudicis vel ad momentum videre. Abscondere se & latere, erit impossibile; eidem apparere, eumque videre, intolerabile. Tunc dicent mõtibus & petris, Cadite super nos, & abscõdite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni. quoniam venit dies magnus iræ ipsorum: & quis poterit stare? vt habemus Apocalypsis sexto d.

Inter

Inter omnes igitur totius seculi dies præteritos, pręsentes, & futuros nullus illis horribilior, nullus vnquam fuit formidabilior: sicut nec vllus bonis & electis in hoc seculo fuit suauior. quis enim dicere, vel saltem cogitare valeat, quæ tunc lætitia bonis, quæ tūc erit tristitia malis?

Videbunt ergo eum iniusti ad pœnam: iusti aūt ad gloriam. Iniusti cum timore & turbatione horribili: Iusti vero cum gaudio & lætitia inenarrabili. Iniusti in non glorificatis corporibus: Iusti vero in corporibus glorificatis. Iniusti humanitatem quidem Christi diuina virtute glorificatam intuebuntur, sed gloriam animæ eius & diuinitatē videre nequibunt: Iusti vero non solum eius humanitatem iam glorificatam, sed & gloriam animæ eius & diuinitatem videbunt, in quam desiderant angeli prospicere, quam omnes iusti ab origine mundi tanto affectu cupierunt videre, quam videre vita æterna est. Sequitur in Luca:

filium hominis] nimirum Mariæ virginis: qui ob id potius dicitur hic filius hominis quam Dei, quia in forma hominis apparebit & iudicabit. Oportet enim vt iudicem viuorum & mortuorum, coram quo iudicabuntur, & iusti videant & iniqui: quod fieri non potuisset, si ad iudicium in forma Dei venisset. quia illam Christi formam, in qua æqualis est patri, procul dubio impij videre non possunt. nam visio formæ Dei non nisi mundis corde, qui Deum soli videbunt, contingere potest. & ideo oportebat vt filius hominis inquantum homo acciperet iudiciariam potestatem, vt iudex ab omnibus videri posset. hinc Augustinus dicit, quod illa forma iudicabit quę iudicata est: vt, sicut iniuste in ea est iudicatus, sic orbem terrarū in ea iuste iudicet. Iudicabit autem orbem terrarum secundū humanam naturam authoritate delegata, iuxta illud Act. 10. g. Ipse est qui cōstitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum. Secundum naturam vero diuinam authoritate ordinaria. Insuper & Apostoli iudicabunt vt infra dicetur sed hi assessoria dignitate. & omnes electi approbádo sententiam iudicis. hinc Sapien. 3. Iudicabunt sancti nationes & dominabuntur populis. Sequitur in Luca:

venientem] scilicet de cælo empyreo ad iudicandas

omnes

omnes nationes. Sequitur in eodem:

in nube.] ſcilicet lucida, diuina virtute formata, non vt Chriſtum occultet, ſed velut obſequium præbeat. & ideo merito credendus eſt non ſolum in corpore, verum etiam in nube venturus, vt ſicut olim à mũdo iudicatus & à nube ſuſceptus in cælum aſcendit: Ita & ipſum iudicaturum mundum nubes referat deſcendentem. hoc enim ſancti angeli Domino in cælos aſſumpto Apoſtolis prædixerunt dicentes Act. 1.b. Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cælum? hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cęlum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum eũtem in cælum. Sed rogabis, quare Dominus deſcendet ſuſceptus à nube? Reſpondeo hoc futurũ non quod nubis indigebit obſequio: ſed vt per hoc oſtendatur etiam ipſa mundi elementa authorem ſuum agnoſcere & agnitum ſuo miniſterio venerari ad confuſionem impiorum qui dominum ſuum non agnoſcunt. Vel deſcendet ſuſceptus à nube, vt nubes ſit ei loco tribunalis. nam ſecundum iura nulla ſentẽtia proferenda eſt, niſi iudice pro tribunali ſedente. Erit igitur nubes tribunal Chriſto, iuxta illud Eccleſiaſtici. 24. Ego in altiſſimis habito & thronus meus in columna nubis. & ad Romanos 14. b. Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti. Sequitur:

cum poteſtate magna,] ſecum trahẽs militiam angelorum omnem. Longe aliter venit in primo ſuo aduẽtu. Venit enim tunc tanquam infirmus & imbecillis, adeo vt propter ſuam infirmitatem & imbecillitatem, quã præ ſe ferębat, vagiens puerulus fugere in Aegyptum per Herodem cõpulſus ſit: & poſtmodum vir factus ſe à militibus principum ſacerdotum & Pilati comprehendi promiſerit & ligari & mirabilibus tormentis affici tanquam imbecillis. vnde Apoſtolus prioris ad Corinth. 13. crucifixus eſt ex infirmitate. Ne igitur ſicut in primo ſuo aduentu propter ſuam infirmitatem ab impijs oppreſſus fuerat: ita quoque in ſecundo ſuo aduentu ab iniquis opprimeretur: ideo neceſſe eſt vt iudicaturus veniat cum poteſtate magna, Herodis, Pilati, principum ſacerdotum Antichriſti, item & ipſius Satanæ irarum ſecurus, imo omni tyrannidi timendus. Et quo eius poteſtas appareret impijs maior, venit nõ

ſolus, ſed innumerabilium angelorum exercitibus ſtipatus, ſanctorumque millibus circumuallatus vt ſuam potētiam oſtendat, qua omnes mali opprimentur ab eo, quem in humilitate poſitum audire noluerunt. De hoc tam magnifico eius aduentu Eſai. 3.c. dicitur: Dominus ad iudicium veniet cum ſenibus populi ſui & principibus eius. Per ſenes populi, homines ſanctos: per principes vero, angelos intelligere licet. Et Zach. 14.b. Veniet domin⁹ Deus meus, omneſque ſancti cum eo. Et Iudæ capitulo vnico c. Ecce venit dominus in ſanctis millibus ſuis facere iudicium contra omnes & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum. Tunc millia millium miniſtrabunt ei & decies millies centena millia aſſiſtent ei. Daniel. 7.c. Ibi cum eo erunt omnes angelorum chori; Ibi cum eo erit patriarcharum electus ſenatus, prophetarum laudabilis numerus, apoſtolorum glorioſus chorus, martyrum triumphalis exercitus, pontificum & ſacerdotum ordo, virginum puritas & coronata integritas: tam & ſi ipſe nullius ſancti vt impios puniat, auxilio indigeat. nam ipſe ſecundum ſuam diuinitatem infinitæ eſt poteſtatis: ſecundum humanitatem vero aſſumptam omnibus creaturis potentior factus eſt. vnde ipſemet poſt reſurrectionem dixit apoſtolis Matth. 28.d. Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Sequitur:

& maieſtate.] Græca exēplaria hic habent δόξης πολλῆς hoc eſt, gloria multa. Veniet enim in corpore glorificato tanquam rex regum, & iudex vniuerſorum. Dominus nāque eo quòd in primo ſuo aduentu propter ſuam paupertatem & humilitatem cōtemptus fuerat à ſuperbis, & maxima ignominia affectus iudicaturus; veniet cum maxima claritate & gloria etiam angelorum exercitibus ſtupenda: nedum tyrannorum cateruis admiranda, vt contemni non poſſit. Verè gloria ea aduentus ſecundi immēſa credenda eſt, quod vel ab ipſo ſaluatore magna dicatur, vt græca habent exemplaria.

Per poteſtatem igitur puniet malos: Per maieſtatem vero conſolabitur bonos.

ENAR-

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICAE SECVNDAE ADVENTVS, CAPVT QVARTVM.

ET TVNC *videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate.*] Rogabis quid ibi tunc facturus sit Dominus, cùm venerit eò in nube cum potestate magna & maiestate? Respondeo, quod tunc imprimis congregabuntur ante eum omnes gentes & homines omnes ab Adam vsque ad vltimum in hoc seculo procreatũ, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues quidẽ à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Deinde quidam ex iustis & bonis constituentur cum Christo tanquam iudices, vt dicit dominus Matthæi 19. hoc modo: Vos qui reliquistis omnia & secuti estis me: in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suę, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Tum reliqui boni & iusti comprobabuntur. nam tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt. Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim: & dedistis mihi manducare, &c. Vt habemus Matth. 25. d. Tunc stabunt iusti in magna constantia erectis nimirum capitibus aduersus eos, qui se angustiauerunt & qui abstulerunt labores eorum. Sapien. 5. tunc enim animęquiores facti oculos subrigent & capita attollent. Et interea dum hæc omnia cum iustis peraguntur: mali hæc videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, pœnitentiam agentes & per angustiã spiritus gementes, & dicẽtes intra se illud Sapien. 5. a. Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei & inter sanctos sors illorum est?

Deinde Altissimus sese ad impios damnãdos cõuertet, & angeli accusatores erunt illorum hominum, quibus ad ministerium & custodiam fuerãt deputati, iuxta illud Iob

20. Reuelabunt cæli iniquitatem impij, hoc eſt, perſonæ cæleſtes & angeli. Tunc quoque implebitur illud Pſal. 74. a. Cum accepero tẽpus, ego iuſtitias iudicabo, hoc eſt, nõ ſolum opera, quæ vos tanquam mala cognoſcitis, ſed & ea quæ iam iuſta putabatis iudicio diſcuſſionis, quo etiam minima quæque & verba ocioſa diſcutienda ſunt, iudicabo. Iuſtos vos hic putatis, qui proximũ non decipitis, aliena non rapitis, etiamſi veſtra retineatis: verũ hos ego iudicabo, vt vnde vos in detentione veſtrarum & non alienarum rerum iuſtos putabatis, hinc meo iudicio damnemini. Eſuriui enim: & non dediſtis mihi manducare. ſitiui, & non dediſtis mihi potum &c. Atque ita in extremo iudicio ſæpe culpa deprehenditur, quod à nobis bene geſtum putabatur: & inde iudicium ſequitur iuſtæ vltionis, vnde expectabatur pia merces operis. vt manifeſtũ eſt in Euangelio de decẽ virginibus. Omnes enim dicuntur virgines: & tamen intra beatitudinis ianuam non omnes receptæ ſunt. Omnes etiam dicuntur habuiſſe lãpades, id eſt, opera externa bona, & tamen quinque ex illis à ſponſo neſciuntur. Rurſus omnes deſcribuntur occurriſſe ſponſo & tamen quinque ex illis oſculo ſponſi non ſolum exceptæ non ſunt, verum etiam ab amplexibus ſponſi ſemotæ & reiectæ ſunt. Denique omnes mortuæ ſunt & tamẽ quinque ex illis nihil profuit, quod tanta perpeſſę eſſent. Quod ſanctus ille vir Iob præſciens, quem tamen cõſcientia ſua in vita iſta minime reprehendit, ait nono capite ſuæ prophetiæ d. dicens: Verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti. hinc & Paulus prioris ad Corinthios quarto: nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Denique peccatores eijcientur in ſuppliciũ æternum, Iuſti autem conſtituentur in vita æterna. vt docet dominus Matth. 25. d.

Quia autem omnia de ſignis extremum iudicium præcedentibus dicta, horribilia ſunt; Ideo ſeruator noſter ſuos electos conſolatur tunc futuros, dum ſubdit:

his autem fieri incipientibus ſuſpicite] hoc eſt, his ſignis & prodigijs fieri incipientibus ſuſpicite vos electi mei & filij altiſſimi & domeſtici Dei, qui manſiſtis mecum in tentationibus meis. ſuſpicite inquam, non terreamini, non timete,

mete,non coarctamini, non arescite:sed suspicite nõ oculis corporis,sed mentis per fidem.

& leuate capita vestra] hoc est, omni timore & mentis angustia reiectis, erigite considerationem vestram & mentes vestras ad Christum liberatorem & ad gaudia patriç cæleſtis,vbi fiet vobis æterna & plena remuneratio. atque exhilarate corda vestra & gaudete, & bona spe præditi sitis. quemadmodum enim capita demittere & oculos deijcere solent abiectæ spei homines atq; perturbati, tristes etiam & calamitatibus oppressi: ita quoque capita leuare & erigere dicuntur magna spe suffulti,bono animo præditi atque gaudentes. vnde nihil aliud est,leuate capita vestra, quàm maxima spe supernorum bonorum, quæ iam iam adepturi estis,recreati,libenter summos illos horrores & tribulationes sufferte. vnde manifestum est quod Christus quãuis sciret suos electos tantos horrores & calamitates habituros vt præ illis arescerent: tamen iubet vt desperantibus infidelibus & impijs ipsi æquo sint animo intuitu supernorũ bonorum, quæ propter huiusmodi tribulationes assequentur. hinc sequitur in Luca:

quoniam appropinquat redemptio vestra.] Rogabis an ne redemptio nostra facta iam sit longo tempore antea in cruce? Respondeo quod sic,iuxta illud Psal.73. Deus autẽ rex noster ante secula operatus est salutẽ in medio terræ. vnde Dominus non loquitur hic nisi de affectu redemptionis, cuius quamuis aliquam partem habeamus:tamen nõdum plenariè assequuti sumus ipsum redemptionis effectum: qui non solum in remissione peccatorum & gratiæ consequutione, sed etiam in libertate à seruitute corruptionis, mortis, & corporis:& in libertate ab infestatione passionum, tentatione dæmonum, persecutione malorum hominum, sollicitudine necessariorum & reliquorum, quæ mundi sunt, consistit. tunc enim nec carnis contagio, nec morbus nos molestabit. tunc nec ipsa mors regnabit sed penitus abolebitur. tunc nec animi passiones,quas græci πάθη vocant, nos perturbabunt. tunc nec erit vltra tentationis locus, qui interim in hoc seculo electis in meritorum occasionem relinquitur. Insuper & consistit in visione Dei. quamobrem tunc ineffabilis erit lætitia bonis,

creatoris redemptorisque sui illum vultum videre in quē desiderant angeli prospicere. Huius talis redemptionis, quæ nihil aduersitatis relinqui permittit, Dominus hic mentionem facit, quæ nobis hic apud Lucam aptissime significatur vocabulo græco ἀπολύτρωσις. quod si Theophylacto credimus significat, absolutam omnium malorum euacuationem & abrogationem. hāc scholastici vocant rei, quum illa, quam in hac vita credentes spe possidemus, sit spei. In primo itaque aduentu quantum ad Sacramentum fidei ab interitu sumus vindicati atque in spē viuam adducti. In secundo spei mercedem Christus elargietur. Sequitur:

vestra.] Christus hic non loquitur discipulis tanquā illis, qui perseuerare deberent in vita ista vsque ad terminū mundi; nec loquitur eis solum sed omnibus simul, quasi vno corpore existente ipsis & nobis & posteris vsque ad consummationem mundi, in Christum fide per dilectionem operante credituris: vel in persona apostolorum alloquitur eos, qui tunc in seculo isto victuri sunt.

E contrario appropinquat quoque consummata damnatio quam abhorrent & expauescunt reprobi. tunc gaudium eorum quod instar puncti est, & infinitis maximisque permixtum amaritudinibus, in luctum ęternum commutabitur. Sequitur:

Et dixit illis similitudinem] Consolatio præmissa, quæ obscura non est, ex præsenti parabola plus lucis accipit. si autem hanc consolationem minime obscuram Christus parabola elucidare voluerit; multo magis nos Christi & prophetarum exemplo docemur difficiliora scripturæ loca nudis & tritis exemplis esse declaranda, & animis simplicium haud secus atque filum acui, ingerenda. Sed similitudinem ipsam videamus. Dicit igitur Euangelista:

Videte ficulneam & omnes arbores] Matthæus & Marcus solius ficus mentionem faciunt: Lucas autem hic & aliarum arborum. Sequitur:

cùm producunt iam ex se fructum] hic apud Lucam græcè tātum est, προβάλωσιν ἤδη, hoc est, cùm protulerint iam, & proruperint, neque fructus meminit: sed tantum de gemmis & frondibus erumpentibus loquitur. vt hic sit sensus:

Cum pro-

Cùm produxerint iam & protruſerint gemmas & enata fuerint folia. Id quod ex alijs Euangeliſtis liquet: ſiquidē Matth.24. ſic habetur. Cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, ſcitis quia prope eſt æſtas. Et Marc.13.d. Cū iam ramus eius tener fuerit, & nata fuerint folia: cognoſcite quia in proximo ſit æſtas. Prius enim tenereſcit ramus quàm gemmæ protrudi queant. Vnde certū eſt quod fructus nullam mentionem facit. Dum autem interpres noſter, fructum addendo, hæc interpretatur, nomine fructus intellexit, quicquid ex arbore producitur, etiam folia & flores. Sequitur:

ſcitis quoniam prope eſt æſtas] & hic diſſident græca à noſtris. Græca enim hic habent, βλέποντες ἀφ' ἑαυτῶν γινώσκετε, ὅτι ἤδη ἐγγὺς τὸ θέρος ἐστίν, hoc eſt, cernentes ex vobiſipſis, cognoſcitis quia iam prope eſt æſtas. Vnde manifeſtum eſt, quod dictio illa ἀφ' ἑαυτῶν, hoc eſt, ex vobiſipſis non ad arbores, ſed ad diſcipulos, qui omnia hæc ipſi etiā nullo admonente vident & agnoſcunt, refertur. Sequitur:

Ita & vos cum videritis hæc fieri, ſcitote quoniam prope eſt regnum Dei.] Quaſi dicat ſeruator: Sicut ex vobiſipſis etiam nullo admonente vel ex re ipſa agnoſcitis gemmarum & foliorum productionem ſignum eſſe æſtatis vicinæ: ita quoque cùm videritis hanc mundi ruinā fieri, ſcitote propinquam vobis eſſe æternam beatitudinem, & patriam cęleſtem eam, in qua iam non erit clamor, neque dolor, in qua diabolus infeſtabit neminem, in qua mors non terrebit aliquem, in qua omnia mala euanuerunt, in qua innouata videbuntur omnia, in qua omnes ſancti in corpore & anima glorioſi conſiſtent. Hæc autē cæleſtis patria conuenienter æſtati, ratione deſideratæ lucis & delectabilis quietis, comparatur. nam quemadmodum æſtas eſt pars anni lucidiſſima: ita & regno Dei lucidius nihil. Quemadmodum æſtas eſt fructifera, ita & regnum Dei omnibus eò venientibus fructus plurimos affert: nulli enim, quàm tunc, plus fructus accreſcit. quemadmodū ęſtas eſt iucunda, ita & regnum Dei, ſed iucundius multo. quemadmodū æſtas eſt tranquilla, ita & regnum Dei ſed longe tranquillius: adeo vt futurum ſeculū iuſtis æſtas ſit ab hieme. Peccatoribus autem hiems ab æſtate. Nam hi præſens ſeculū

pro æſtate habent, futurum vero pro hieme. Hinc manifeſtum eſt nos debere cupere & ſummopere deſiderare aduentum eius. Nam apoſtolus poſterioris ad Timoth.4.b. dicit coronam iuſtitiæ non tãtum ſibi præparatam & reddendam, ſed & ijs qui diligunt aduentum eius: quo docet bonos omnes diligere debere aduentum Chriſti, non horrere, vt faciunt mali. Sequitur:

Amen dico vobis] hic ſeruator noſter ſermonem ſuum iuramento confirmat, vt eius verbis fidem adhibentes & certiſſime ſcientes hæc nobis euentura, ad ea noſmetipſos omnibus viribus præparemus & magnanimiter confortemus, ne nos hæc mala imparatos inueniant. Sequitur:

quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant] Græca habent, ἕως ἂν πάντα ταῦτα γίνηται, hoc eſt, donec omnia hæc fiant, nimirum quæ prædicta ſunt de ſignis & prodigijs ignem conflagrationis vniuerſi præcedentibus. nam quamuis mirabilia hæc accidere certum ſit; tamen in vita hac multi generationis huius permanebunt, donec omnia fiant, quæ de ſignis & prodigijs illis prædicta ſunt. Vel ſi mauis ſic intellige, non deficiet ſeculum hoc, donec omnia compleantur, quæ ante iudicium dixi futura. Cum autem hæc omnia facta fuerint, tranſibit nõ ſolum terra, ſed & cælum. Vnde ſequitur:

cælum & terra tranſibunt] non quidem abolitione ſui & redactione in nihilum inſtar fumi, vaporis, aliarumque rerum, quæ ita euaneſcunt vt nihil reliquum de illis maneat: ſed ſui immutatione, transformatione, & alteratione. Tranſibunt enim per eam, quam nunc habent imaginem, attamen per eſſentiam ſine fine ſubſiſtent. hinc Eccl. 1. Generatio præterit, generatio aduenit: terra autem in æternum ſtat. quia per eſſentiam ſine fine ſubſiſtit, & præterit ſolummodo figura mundi. Cælum namque tranſibit à ſtatu motus & cauſalitatis quæ nunc habet, ad ſtatum quietis. Terra autem à ſtatu tranſmutationis & generationis, quo nunc profert vegetabilia, aliaque humanis vſibus neceſſaria, ad ſtatum gloriæ. vnde quod in Apocalypſi dicitur: Erit cælum nouum & terra noua, non ita accipiendum eſt, quaſi alia condenda ſint, ſed quod hęc ipſa, quæ ſunt (vt prędictum eſt) renouanda ſint. Sequitur:

Verba

Verba autem mea non transibunt] Rogabis quomodo hoc verum sit, cum tamen (vt Gregorius asserit) nihil in rerum corporalium natura tam velociter quàm verbum transeat? verba enim quousque imperfecta sunt, verba non sunt; cum vero perfecta fuerint, omnino iam non sunt, quia nec perfici nisi transeundo possunt. Respondeo quod verba Christi dicuntur nõ transire, sed perpetua immutabilitate perseuerare, si considerentur non secundum vocalem prolationem, qua prolatum irreuocabile volat verbum: sed secundum res verbis significatas. Nam illæ, vt verbis expressæ sunt, certo certius euenient. Hinc dicit Gregorius quod verba Christi nõ transeũt; quia sine mutabilitate manentes sententias exprimunt.

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICÆ TERTIÆ ADVENTVS,

CAPVT PRIMVM.

Euangelium Matth. 11 *.a.b. & Luc.7.c.d.*

IN ILLO *tempore: Cum audisset Ioannes*] nimirum ex relatu suorum discipulorum vt sole meridiano clarius est ex capite Luc. 7. vbi habetur quod nunciauerunt Ioanni discipuli eius de omnibus his, videlicet Christi miraculis. Sequitur:

in vinculis] quare autem Ioannes fuerit in vinculis, habemus Marc.7.c. Nam ibi dicitur quod Herodes cognomento Antipas tetrarcha Galileæ misit ac tenuit Ioãnem & vinxit eum in carcere propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. Dicebat enim Ioannes Herodi, non licet tibi habere vxorem fratris tui.

Ioannes igitur nõ ob facinus aut flagitium, sed propter veritatem doctrinę & zelum iustitię in carcerem cõiectus fuerat. Id quod ei non dedecori, sed summę laudi erat.

quid enim hominem nobis magis commendatum reddere posset, quàm eum adeo amãtem esse iustitiæ, vt ob eam se non solum carceri includi, verum etiam vinculis constringi gauderet? Talis autem erat noster ille Ioannes. nõ enim se vinctum tristabatur, sed propter iustitiam persecutionẽ pati summopere lętabatur. quod vel ex eo omnibus manifestum euadit, quod ad Christum discipulos mittens, vt è carcere eriperetur, non solum non petebat, verum etiam nec vllam eius rei mentionem faciebat; vt interim taceam, quod nec vllam suis discipulis impatientiam in suis aduersitatibus foris ostendebat. sed cui testimonium in deserto prohibuerat, ab eo in carcere vinctus per infidelitatẽ, vel impatientiam nõ recedebat: & in quẽ, dum propter eum habitus fuit in precio, crediderat, ab eo fidem suam, dum instar male factoris detentus fuit in carcere, non mutabat. Sequitur:

opera Christi] nimirum quomodo filium viduæ suscitauit à morte, quomodo seruum Centurionis sanauit, quomodo leprosum mundauit, quomodo manum aridam in sabbato curauit, quomodo dæmoniacum liberauit, quomodo duobus cæcis visum restituit; quomodo denique filiam archisynagogi ad vitam reuocauit. hæc enim omnia, quæ fecit Christus, stupenda opera, Ioannes in carcere constitutus audierat. quod autem in vinculis existens & non prius hæc audisse scribitur, ratio est: quia Christus antequam Ioannes in carcerem coniectus esset; non nisi vnum aut alterum miraculum fecerat, dum inuitatus ad nuptias in Cana Galileæ aquam in vinum mutauerat: & vendentes & ementes è templo in festo Paschæ eiecerat: imo nec palam adhuc prædicauerat. Quapropter Matth. 4. habemus: Exinde, id est, ab incarceratione Ioannis, cœpit Iesus prædicare & dicere, Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum. Cepit & tantis coruscare virtutibus & miraculis: vt ipse cunctis esset admirationi. vnde & post præmissa quibusdã interpositis, Mathęus subdit: Et circuibat Iesus totam Galileam docens in Synagogis eorum & prædicans Euangelium regni & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abijt fama eius per totam Syriam. Sequitur:

Mittens

Mittens duos de discipulis suis] partim propter socialis vitæ commendationem, partim propter congruã testificationẽ. quia in ore duorum vel trium testium stat omne verbum.

Misit autem eos, ad Christum videlicet. quod ipsum & Ioannem nobis mirum in modum commendat, qui maluit Christũ, quàm se honorari; qui maluit mandata Christi, quàm sua, impleri: imo Ioannes non nisi Christi præcepta & his consentanea suis discipulis implenda præscripsit, atque, vt ea implerent, totis viribus laborauit. Quod & nobis omnibus imprimis curãdum esset, quamuis multi longe secus faciant. Sunt enim nonnulli, proh dolor, qui malunt suos discipulos apud se retinere quàm ad Christũ mittere: qui malunt suis quàm Christi mandatis obediẽtiam præstari. nam modo vtilitatem colligant & lucrum faciant & filij & famuli: susque deque ferunt eorum parẽtes & domini, an negligant, an impleant mandata Christi. Atque ita suos subditos non Christo transmittunt, sed diabolo velut in manum tradunt: dum nihil ipsis curę est, nisi quod temporale & transitorium est. dum nihil ipsis pręcipiunt faciendum, nisi quod ad crumenam replendam conducit. vnde fit, vt eorum subditi plane in gentiles degenerent. Cùm enim exempla abeãt in mores, nihil aliud in posterum faciunt, quàm quod viderint suos parentes vel dominos facere solitos. Sequitur:

ait illi] videlicet Christo per discipulos suos.

Tu es qui venturus es, an alium expectamus?] Vbi græcus textus hoc modo habet: σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἕτερον προσδοκῶμεν, hoc est, tu es ille veniens, vel ille vẽturus, an alium expectam⁹? nã græca dictio ἐρχόμενος anceps est ad vtrũque tempus, præsens videlicet & futurum. Et nihil aut parum retulerit, siue legas, veniens, siue venturus. vtroque namque vocabulo significatur Messias. quod autem & per veniẽtem in scripturis nobis significetur Messias, manifestum est Abac. 2. a. vbi dicitur: Si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet & non tardabit. quia tamen hac periphrasi, qui vẽturus est, sæpius inuenimus in sacris literis Christi personam nobis adumbratam, ideo nostri interpretis amplexabimur lectionem. Habemus enim Ioannis sexto. b. Illi ergo homines cum vidissent, quod fecerat Ie-

rat Iesus signum, dixerunt, quia hic est vere Propheta qui venturus est in mundum. Et Act. 19. a. dicit Paulus: Ioãnes baptizauit populum dicens, in eum qui venturus est vt crederent, hoc est, in Iesum: quoniam enim apud Iudæos Christum tandem nasciturum celeberrima fama erat, (quemadmodum & à mundi principio prædictum erat) ideo hac periphrasi (qui venturus est) Christi persona sæpius nobis significatur. Et ob id præstat legamus cum nostro interprete, venturus, quàm veniens. Interrogatio igitur Ioannis hunc habet sensum: Tu es qui venturus es, hoc est, tu es ille venturus tot retro seculis expectatus, tam lõgo ante tempore in lege promissus, tantópere à patriarchis desideratus, tam multis in scripturarum locis à Prophetis pronunciatus, an alium expectamus? Tu es Propheta ille magnus, de quo Moyses in lege scripsit, quem sicut Moysen audire debemus, tu es qui redimes Israel ex omnibus iniquitatibus eius; tu es Messias, de quo Prophetæ testati sunt, quod esset venturus, an alius nobis est expectãdus?

Rogabis, an ergo Ioãnes dubitauerit an Iesus ad quem mittebat suos discipulos, esset Messias & Christus? dico quod non. nam Ioannem nõ dubitasse de persona eius, an esset Christus & mundi saluator in lege promissus, & à Prophetis prænũciatus, omnes catholici doctores cõcorditer protestantur. Si enim ille Christum in vtero adhuc matris delitescens agnouerit, iuxta illud Elizabethæ Luc. 1. Ecce vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo: quomodo non multo magis agnouit eum, cum iam in adolescentẽ, imo in virum euasisset? Prætérea quod eum agnouerit, manifestum est. nam Iesum hunc esse Messiam nobis promissum, prophetando, baptizando, & ostendendo declarauerat. Imprimis prophetando, hinc Matth. 3. c. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamẽta portare; ipse vos baptizabit in spiritusáncto & igni. Deinde baptizãdo, quia Ioannes Christũ à se baptizari volentem prohibebat dicens Matth. 3. Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Denique ostendendo dicens Ioan. 1. d. Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. hic est, de quo

de quo ego dixi, post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat. Et paulo post.c. Et ego vidi & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei. Ioannes itaque cum esset plenus spiritusancto, nihil per errorē, nihil per ignorantiam, nihil per dubitationem hic instituit. neque enim ignorare poterat Iesum hunc esse Messiam, cum in baptismo columbam super eum descendentem viderit & testem Deum patrem cælestem super Christo sic testificātem audierit. hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.

Dices fortassis Ioannem tunc non dubitasse; postmodum vero cum iam in carcerem coniectus esset, cepisse dubitare: Verum si hoc ita esset, Christus Ioannem in hoc Euangelio de constantiæ firmitate nō laudasset, nec ipsius eximias virtutes extulisset. Iam vero tam eximie eum laudibus euexit, vt etiam eum plusquam Prophetam dixerit & angelum suum vocauerit. vt ex sequentibus Euangelij huius manifestum erit.

Sed non immerito rogabis, quæ igitur causa fuerit ob quam Ioannes voluerit à Iesu, an esset Christus, interrogari, si de eo non dubitauerit? Respōdeo hoc magnam ob causam factum esse, quam subindicauit Euangelista, dum dixit: Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, hoc est, talia opera, qualia nemo facere posset, nisi ipse solus Christus filius Dei: tunc misit discipulos vt hoc ex eo percōtarentur: vt per hāc occasionē videntes signa atque virtutes, quas solus filius Dei facere posset: rebus ipsis discerent, crederentque eum esse Messiam: cognitoque salutis authore ei adhærerent. vnde & Christus interrogatus, ad discipulorum instructionem respondit signa operum eis ostendens: vt ex ijs ipsis crederent eum esse Messiam. Misit ergo discipulos suos, nō quod ipse, sed quia discipuli eius de Christo dubitabant. missi sunt, inquit Beda, vt magistrum interrogantes sibi discerent, non illi, qui non dubitabat.

Rogabis rursus: An ne Ioannes dixerit eis hunc Iesum esse Messiam? Dico quod sic: quia ipse venit in testimonium vt testimonium perhiberet de lumine vt omnes crederent per illum. Ad quid ergo mittit eos? cur ipse suo nō

fungitur

fungitur officio? Respōdeo, quòd quamuis Ioānes, donec cum ipsis esset, tam precibus quàm rationibus ad hoc eos hortaretur; tamen nōdum eis persuadere potuerat: partim quia existimabāt, quod ipse se humilitatis causa deprimeret: partim quia aduersus Christum acerbo inuidiæ ardore flagrarent, quod paulatim iam eius augebatur, plusquā Ioānis, gloria. quod ex duobus apertissime colligitur scripturæ locis. Prius enim accesserant ad Iesum dicentes Matth. 9. b. Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter; discipuli autem tui non ieiunant? Et ad Ioannem Ioā. 3. c. Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem (videlicet se tibi subijciens, tanquam inferior te) ecce hic baptizat, & omnes veniūt ad eum, nimirum te dimisso & neglecto. quasi dicant: Rabbi, cur ipse à te baptizatus audet baptizare? cur nos relinquimur, & ad illum confluit turba? quo dicto liuorem significant ex inuidiæ mordacitate veniētem. Atque ex eadem æmulatione (vt Lucas refert) & hic Ioanni in vinculis existenti nunciabant opera Christi. Inuidiæ enim stimulis mirum in modum aduersus Iesum agitabatur. Nam cum nihil adhuc altius & supra hominem de Christo cogitarent: Ioannem autem plusquam hominem arbitrarentur: non poterant æquo ferre animo, crescere indies Iesum; Ioannem vero quotidie minoris æstimari. Propterea nō immerito Ioannes cùm mortem suam propinquam videret, timens ne perniciosę opinionis materiā relinqueret, hos mittit ad Christum, eos Christo adiungere volens: vt qui verbis & testimonio magistri sui de Christo, credere recusabant, maximis Christi crederent operibus: vt vel sic benigne & humaniter hos, qui iam nimium in verba sui iurauerant magistri, ad capescendam Christi doctrinam & fidem prouocaret. Fecit autem hoc Ioannes tanta diligentia, vt se totum, suaque omnia ei rei dedicaret & consecraret.

Vtinam omnes Ecclesiastici doctores tantam gererent curam gregis sibi commissæ: vtinam omnes magistratus tantam diligentiam adhiberent prouehendæ reipublicæ: vtinam omnes parentes ita addicti essent suorum instructioni filiorum: vtinam denique omnes patresfamiliâs tam dextere prospicerēt familijs suis, atque noster ille Ioannes

annes prodesse studuit discipulis & familiarioribus auditoribus suis, dum eos non solum ad Christum direxit, verum etiam & in Christum credere, & ad Christum doctorem æternum ac verum accedere pijs precibus exhortatus est. nam ei non suffecit quod discipuli eius asperam & duram, sicuti ipse, ducerent vitam, nisi etiam de Christo rectam haberent cognitionem & fidem. quid enim ad æternam acquirendam profuerit salutem asperitas vitæ, nisi simul recta fides, sine qua impossibile est placere Deo, adsit? Vt igitur hanc omnes habeant, omnibus Ecclesiasticis doctoribus vehementissime laborandum est. quamuis, proh dolor, aliquot ex illis longe aliud agant: dum non quæ saluti conducunt ipsius populi, sed placentia loquuntur, vt fauorem populi sibi concilient: dum se abunde satis suo officio functos existimant si Bacchanalia viuant, vt suo genio satisfaciant. Eodem modo subinde & prophano magistratui non est cordi, an populus ea quæ Deo debētur præstet, dum nihil aliud curat, quàm vt vectigal, tributum & alia publica onera à suis subditis extorqueat. quod vbi fecerit, tunc quod sui muneris est se fecisse putat. Venio iam ad parentes, & patresfamilias, quibus maior incumbit anxietas, vt eorum rectè sit prospectum pecoribus & bestijs quàm liberis & famulis. Et fortassis si quam suorum gerunt curam, ea corporis, non etiam animæ est, dum nihil præ oculis nisi quod temporale, caducum, & transitorium est, habent. Verum de his satis, iam ad textum reuertamur. hoc itaque promittitur in Luca ante Christi responsionem.

Cum autem venissent ad eum viri] viri missi sunt, non pueri, tum propter negotij, pro quo expediendo mittebantur, magnitudinem & excellentiam: tum propter Christi, ad quem mittebantur, honorem & reuerentiam. Cùm igitur venissent ad Christum hi insignes & præclari viri & maximis corporis & animæ dotibus exornati *Dixerunt*] non statim, sed facto aliquanto temporis interuallo, eo quod Christum in faciendis miraculis & docendo populo occupatum inuenirent. vt testatur Lucas capite Euangelij sui septimo.d.dicens:

In ipsa

In ipſa autem hora curauit multos à languoribus ſuis & plagis & ſpiritibus malis: & cæcis multis donauit viſum] hęc enim opera Chriſtus feciſſe creditur præſentibus Ioannis diſcipulis, antequam ipſi Chriſto quęſtionem Ioannis propoſuiſſent. Nam Chriſtus ſciens (nempe Deus, cui patent corda) quo animo miſiſſet eos Ioãnes; tunc temporis in præſentia diſcipulorum Ioannis vberiora fecit miracula. quibus perfectis tandem nuncij habita interrogandi oportunitate dixerunt, nimirum ſimplici ex corde propter præuiſa miracula vt veritatem cognoſcerent.

Ioannes baptiſta miſit nos ad te dicens: tu es qui venturus es, an alium expectamus?] hic diſcipuli totidem & eiſdem verbis referunt, quæ mandauerat Ioannes, nihil verbis magiſtri ſui addentes, nihil etiam ijſdem adimentes: quo ſe fideles nuncios oſtendunt. Si autem hi nihil verbis magiſtri ſui nec addere nec demere auſi ſunt, multo minus nos verbis Chriſti aliquid addere vel detrahere audebimus. Maior enim Chriſti quàm Ioannis verbis reuerentia deferenda eſt. qui autem contrarium facit, maledictus eſt & mendacij reus. Paris maledictionis obnoxius eſt, qui verba Dei adulterat, aut, vt vertex ait Apoſtolorum, deprauat ad propriam, aliorumque perditionem.

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICAE TERTIAE ADVENTVS CAPVT SECVNDVM.

ET RESPONDENS *Ieſus ait illis: euntes renunciate* Ioanni, *quæ audiſtis & vidiſtis*] hic Grȩca exemplaria habent: *ἃ ἀκούετε, καὶ βλέπετε*. hoc eſt, quæ auditis & videtis. quo modo etiam legit Chryſoſtomus in commentarijs ſuis ſuper Matthæum. vnde manifeſtum eſt græca exemplaria hoc in loco non eſſe corrupta. Si enim Chryſoſtomus ſuo tempore ſic legerit: ſignum eſt euidentiſſimum ea tempore Chryſoſtomi ſic habuiſſe. Interpretem aũt nõ ita anxium fuiſſe, vt verbum verbo redderet: eo quod parui momenti ſit, ſiue legamus: quæ auditis & videtis, ſiue

quæ

quæ audiſtis & vidiſtis. & ideo hoc miſſum facimus, & ad explicationem textus progredimur. quæ audiſtis, ſcilicet miracula prius facta, ab alijs, antequã veniretis, vobis narrata. ſiquidem antea ſuſcitauerat filium viduæ, ſanauerat ſeruuum Cẽturionis, mundauerat leproſum, curauerat manum aridam, liberauerat dæmoniacum, reſtituerat cæcis viſum, ad vitam reuocauerat filiam archiſynagogi, &c. quæ oĩa antequam ad Chriſtũ veniſſent audierãt; vel quæ audiſtis, nimirũ verba doctrinæ & prædicationis meæ. & vidiſtis, videlicet miracula, quæ in veſtra feci præſentia.

Ceterum Chriſtus non reſpondit directe ad verba interrogationis Ioannis: ſed duntaxat opera ſua iuſſit ei referri. nam ſi dixiſſet, ego ſum: arrogantiæ aſſcribi illi potuiſſet: vt interim taceam, quod reſponſum hoc ipſos offendiſſet. & dixiſſent, aut certe cogitaſſent, quod Iudæi crebro dicere ſolent: Tu de teipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum. Ideo Chriſtus tantummodo eis ſigna & miracula ob oculos ponit, quæ illi reſpondeant & loquantur, vt ex viſis illis miraculis Ioannes demonſtraret ſuis diſcipulis hunc Ieſum eſſe Chriſtũ. Teſtimonium enim, quod à factis proficiſcitur, longe certius & efficacius eſt eo, quod ſolis præſtatur verbis. hinc Chriſtus Ioan. 5. Opera, quæ dedit mihi pater, vt facerem, ipſa teſtimonium perhibent de me. Ceſſent igitur verba, loquantur opera.

Chriſtus autem valde conuenienter allegat audita & viſa. quia ſine vlla hæſitatione Ioanni referentur, quæ auribus oculiſque percepta ſunt: eo quod duorum teſtimonium (auris dico, & oculi) ratum ſit. vnde hæc duo, vox & ſignum, vbique pariter ad introducendam fidem ex diuina largitate concurrere videmus, vt lata ad animam veritati pateat per vtraſq; feneſtras via. Habemus enim quia profecti Apoſtoli prædicauerunt vbique Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Habemus in monte ſtupenda claritate transfiguratum, & nihilominus ſuperna voce teſtificatum. Habemus in Iordane ſimiliter & columbam ipſum deſignãtem & vocem teſtificantem, adeo vt vox & ſignum vbique ad maiorem rerum certitudinem concurrant. nam viſa cõfirmant audita: &

ta: & cito persuadetur quod dicitur, dum quod stupetur, ostenditur:

Deinde Christus audita & visa enarrat, dum subdit:

Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.] hæc sunt admiranda Dei opera, & non humanæ, sed diuinæ virtutis insignia, quæ probant hunc esse, nec esse alium in quem expectarēt. quoniam talia signa facturum esse Messiam, imo non nisi Messiam Esaias prędixerat capite suę prophetiæ. 35. dicēs: Deus ipse veniet & saluabit nos. Tunc (nimirū Messia, & Seruatore nostro iam præsente) aperientur oculi cæcorū, & aures surdorū patebūt. tunc saliet, sicut ceruus, claudus: & aperta erit lingua mutorum. Mortuos etiam tempore Messiæ ad vitam reuocādos asserit idem ille Esaias cap. suę proph. 26. d. dicens: Viuent mortui tui & interfecti resurgent.

Respondet igitur Christus, non secus quàm si dixisset: Prædixit Esaias quod talia opera nō est alius quàm Messias facturus: si itaque ego talia facio, cognoscitis me esse Messiam. quod autem hæc admiranda opera nullus alius quàm Messias facere possit: non solus asseruit Esaias; verū etiam quidam Iudæorum princeps Nicodemus nomine Ioan. 3. dicens: Rabbi scimus, quia à Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum illo. quasi dicat: Hæc opera, quæ tu facis nō humana, sed duntaxat diuina potestate fieri possunt. quod & nuncij hi qui interrogatum aduenerant, statim animaduerterunt. adeo enim hæc miracula homini soli impossibilia intellexerunt, vt nō possent aliter de Iesu Christi quàm de Dei operibus iudicare: quapropter cum iam domum redijssent, non erat Ioanni difficile vt eis persuaderet hūc Iesum esse Messiam: cum ipsi, visis Christi miraculis, persuasi iam essent hunc Iesum esse Christum & seruatorem mundi, nec esse alium, qui expectari deberet. nihil igitur æque conducebat, vt hoc persuaderetur Ioannis discipulis, quàm vt ad Christum, quādo talia faciebat miracula, destinarentur.

Porro hæc omnia Christi stupenda opera & spiritualiū effectuum imagines erant. nam potius fuisse officiū Messiæ credendum est, vt surdos spiritualiter quàm corporaliter audi-

ter audire faceret: vt mente cæcis quàm corpore lumē tribueret: vt animam quàm corpus ad vitam reuocaret: vt claudicatio mentis quàm corporis tolleretur: vt macula animæ quàm corporis auferretur. quis enim nisi demēs existimare posset quin noster ille Messias potius venit, vt mentes nostras à peccatis expurget & à diaboli laqueis eripiat quàm vt corporibus medeatur? quis non videat potius Christum missum esse à patre vt sedētibus in tenebris & vmbra mortis lux oriretur mētis quàm restauratio daretur corporis? aut quorsum homini profuerit sano esse corpore, si mēs ægrotet? Verū quia de hac re nullū esse dubium existimo, diutius hoc persuadere supersedebo.

Sicut igitur corporaliter surdis tempore Messiæ restituebatur auditus: ita quoq; spiritualiter surdis vt interiore aure perciperēt verba libri vitæ, interior reddebatur auditus. Ex quo proueniebat vt & mente cæci viderent. nam lumen fidei nobis potissimū ex audito Dei verbo contingit. vnde sole meridiano clarius elucescit quàm male faciant, qui ad verba Dei obsurdescunt, nimirum cùm hi illuminari nequeant. quomodo enim lumen fidei adipiscentur: quomodo turpitudinem peccati sui videbūt: quomodo suam inhonestatem attendent: quomodo Dei cuncta cernentis iustitiam pensabunt: quomodo deniq; debitam peccatis damnationem & suppliciorum magnitudinem animaduertent, si non audiant? Verum quia ad salutem animæ non sufficit & verbum Dei audiuisse & lumen fidei recepisse, nisi etiam mortui reuiuiscant; ideo & mortuos hic resurrexisse legimus. Nam tempore Messiæ corporaliter mortuorum resurrectio, figura extitit & spiritualiter mortuos ad animæ vitam per fidem, spem & charitatem fuisse reuocatos. qui autem iam ad animę vitā peruenerant, quî fieri posset, vt non quàm rectissime in semitis iustitiæ ambularent? vt qui prius claudicantes, iam recta non incederent? siquidem charitas nō est ociosa, non agit perperam, non quærit quæ sua sunt. quî etiam fieri posset, vt qui prius leprosi extiterant, recepta animæ vita nō mūdarētur? vt qui prius à sanorū conuersatione seclusi erant, iam mundati ad reliquorum hominum contubernium nō reciperentur? vt qui prius propter hæresim & alia peccata

à consortio hominum reiecti erant, iam emendati ad illud non readmitterentur? nimirum cùm omnia ex charitate nobis proueniant animæ bona. Sequitur:

Pauperes euangelizantur.] Per pauperes hic intelliguntur pauperes spiritu & humiles, qui euangelium, quod superbi reijciunt, obuijs vlnis acceptant, siue hi diuites sint, siue inopes: quum nulla inter nobiles & ignobiles, inter diuites & egenos distantia sit salutis, sed omnes vocentur æqualiter. Prædicatores enim euangelici non est, vt blandiatur diuitibus veritatem celans, nec vt excludat à via salutis pauperes, fidei catholicæ obicem ponens. vnde Christus hic ostendit se optimum esse euangelistam nec personarum esse acceptatorem, dum non præfert diuites & potentes pauperibus & infirmis: sed omnibus indifferenter euangelizat. Aeque enim pauperum atque diuitum Dominus est.

Rogabis, quare Christus potius nominatim exprimat pauperes quàm diuites, cum tamē etiam de diuitibus, qui spiritu sunt pauperes, sententia Domini intelligatur? Dico hoc non solum hîc fieri, verum etiam in alijs pluribus Euāgelij locis. nam & apud Matthæum, Matth. 5. Dominus pauperibus Messię patrocinia pollicetur, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorū. Et hoc ob id quia pauperes, qui in hoc mundo minus habent consolationis, ad Euangelium audiendum magis q̃ huius seculi diuites properare cernuntur, considerantes eas, quas hic mundus promittit, non esse veras diuitias. Diuites aūt maiorem collocantes in rebus perituris quàm æternis fiduciam, prædicationem Euangelij audire dedignantur, & ob mentis suæ elationem se satis sapere, nulliusque proinde prædicatione indigere existimant, dum ea, quæ mundi huius sunt, videlicet emere, vendere, fallere, simplicibus hominibus imponere, perituras diuitias incessanter accumulare pulchre norunt. Hi sunt qui cor diuitijs apponunt, & in eisdem spem collocant. quapropter sicut hæ perituræ sunt: ita quoque spes in talibus collocata caducis rebus nullius momenti est, nec mercedem apud Altissimū merebitur vllam. quocirca rectissime dicit Apostolus prioris ad Corinth. 3. quod sapientia huius

mundi

mundi ſtultitia eſt apud Deum.

Rurſus magis exprimit pauperes quàm diuites, vt certiſſime ab omnibus cognoſcatur neminem propter diuitias eſſe magis acceptum & gratum Deo: quum Dominus dicat Luc. 6. d. Væ vobis diuitibus, qui hic habetis conſolationem veſtram: & alibi difficillimum eſſe aſſerat diuites in regna cælorum peruenire. ſiquidem hi multa diabolicorum laqueorum habent obſtacula, quibus intercepti aut Euangelium omnino non recipiunt, aut receptum ſtatim relinquunt.

Cæterum quemadmodum nemo propter diuitias magis eſt acceptus Deo: ita quoque nec propter paupertatem contemnitur quis à Deo: quamuis hoc quotidie in iſto ſeculo fieri, proh dolor, certum ſit. Videmus enim quotidie, quod ſine gemitu dicere nequeo, diuites laudibus vehi & apud omnes audire bene: pauperes vero, qui tam chari extitere Chriſto, vt & eorum nomine ſanguinem ſuũ fundere non dubitauerit, deprimi & contemni.

Denique Chriſtus potius pauperes quàm diuites nominauit, vt differentiam inter mundana & cæleſtia nuncia nobis inſinuaret: nam mundana nuncia diuitibus huius mundi & cæleſtia pauperibus deferuntur. quocirca mundana per diuites pauperibus innoteſcunt: cæleſtia vero nũcia per pauperes diuitibus nota fiunt. Igitur cur pauperes nominatim expreſſerit, habes: nunc qui etiã per pauperes intelligi poſſint, reliquum eſt vt dicamus.

Per pauperes itaque intelliguntur in ſcripturis non ſolum pauperes ſpiritu & humiles (vt iam diximus:) verum etiam pauperes ſcientia & idiotæ. Hinc Chriſtus Matth. 11. d. Confiteor tibi pater, Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus: & reuelaſti ea paruulis: ſcilicet piſcatoribus & reliquis Apoſtolis meis, qui homines erant ſimplices & ſine literis.

Vel per pauperes hîc intelliguntur manſueti & mites. nam qui hic vocantur pauperes, apud Eſaiam ſexageſimo primo cap. a. vocantur manſueti, dum in perſona Meſſiæ Eſaias hoc modo dicit: Spirit⁹ Domini ſuper me, eo quod vnxerit Dominus me: ad annunciandum manſuetis miſit me. Vbi ſeptuaginta legunt: Spiritus Domini ſuper me,

propter quod vnxit Dominus me: euangelizare pauperibus misit me. Et euangelistæ Matthæus & Lucas hos septuaginta interpretes secuti sunt: & vbi Hebræa exemplaria habent mansuetos: ibi ipsi cum Septuaginta interpretibus legunt pauperes. Vtraque enim dictio fere idem significat. Pauperes enim mansuetiores esse nemo ignorat. hinc Ethnicus ille: Pauper amet cautè, timeat maledicere pauper, Multaque diuitibus non patienda ferat. Econtrario sicut paupertas mansuetiores: ita quoque diuitiæ homines faciunt ferociores. vnde Apostolus prioris ad Timotheum quinto, vult, vt diuites modestiæ admoneantur. Porro quemadmodum in scripturis per mansuetum subinde intelligitur pauper: ita quoque per dictionem, pauper, intelligitur mansuetus; cuius nuper habuimus exemplum Matthæi 21. nam ibi dicitur: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus. cum tamen Zacharias, ex quo prophetia illa desumpta est, habeat, pauper. Dicit enim, Ecce rex tuus venit tibi pauper, &c. Parum igitur retulerit siue per pauperes intelligamus pauperes spiritu & humiles; siue pauperes sciētia & idiotas; siue pauperes ira & mansuetos. Sequitur:

euangelizantur] hoc est, lætum accipiunt Euangelij nũcium, atque ad Euangelij gratiam recipiũtur & intus illuminantur. quemadmodum enim græci dicunt, euangelizo tibi, vel per accusatiuum euãgelizo te, pro eo quod est, adfero tibi bonum nuncium: ita dicunt. Tu euangelizaris à me: pro eo quod est, lætum accipis Euangelij nuncium à me, & ad Euangelij gratiam reciperis. Sensus itaque est, quod pauperes pacis inter Deum & hominem per Christũ confectæ, mortis destructæ, & cæli aperti gratissimũ nuncium recipiunt: nec non & reliquam euangelicæ legis doctrinam amplectuntur, ad fidem conuertuntur, intus illuminantur, commissorum peccatorum remissionẽ adipiscuntur, spiritualiter ditantur; atque ita ad Euangelij gratiam recipiuntur. quod maximum argumentum erat venisse Messiam. siquidẽ hoc ipsum inter præcipua Messiæ officia Esaias vaticinatus est sexagesimo primo suo capite a. dum in persona Messiæ hoc modo dicit: Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit Dominus me: ad annuncian-

nunciandum mansuetis, vel (vt habent Septuaginta) pauperibus misit me. Admiratione enim dignum erat quod homines idiotæ & sine literis subito adeo reddebãtur docti & sapientes, vt nullus quantumuis humanis literis instructus posset eorum sapientiæ resistere, eosque conuincere. hinc Christus specialiter pro hoc opere patri gratias agit Matth. 11. dicens: Confiteor tibi pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Et Luc. 10. d. Iesus conuersus ad discipulos suos dixit: Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire, quæ auditis, & non audierunt. Et Paulus ad Eph. 3. a. gratulabundus: Nobis, inquit, reuelatum est mysterium, quod prioribus seculis absconditum erat. Sequitur:

Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.] hoc non Baptistam nostrum, sed inuidiam discipulorum Ioannis subtaxat & latenter arguit, qui prius accesserant ad Christum, dicentes Matth. 9. quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter; discipuli autem tui non ieiunant? Hi namque scandalum passi erant, non credentes hunc Iesum esse Messiam. quapropter non eos beatos, sed alios, qui scandalizati in eo non fuissent, asserit. quasi dicat Seruator: Si vos o Ioannis discipuli ad me destinati, ea, quæ infirmitatis meæ sunt, nimirum quod mater mea paupercula sit Maria fabro lignario despõsata: quòd eiusdem fabri reputor filius, quòd homo sim alijs in humanis infirmitatibus similis: quòd me crux maneat omnium turpissima, considerare volueritis, quemadmodum hactenus fecistis; in scandalo quod sumpsistis, permanebitis: nec me mundi esse seruatorem credetis. nam his duntaxat cõsideratis, humana non potest non deficere infirmitas. siquidem non omnibus, imo paucissimis ea est fides, quæ per crucis scandalum non dimouetur. Vnde Simeon sanctus multos in Christo scandalũ passuros prænunciauit Luc. 2. dicens: Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel & in signum cui cõtradicetur. Paulus quoq; prioris ad Corinth. 1. d. nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis

quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam. Et Petrus prioris Petr.2.b. Lapis offenſionis & petra ſcandali eſt his, qui offendunt verbo, nec credunt in quo & poſiti ſunt. Ex quorum numero & Apoſtoli fuerunt. nam de his Matth. 26.c. Chriſtum dixiſſe legimus: Omnes vos ſcãdalum patiemini in me in iſta nocte. quod autem & diutius quàm in illa nocte ex illis aliquod in illo ſcandalo extiterint, manifeſtum exiſtimo ex eo, quod Chriſti diſcipuli euntes in Emaus morte Chriſti ſcãdalizati dixerunt: Nos autem ſperabamus quòd ipſe eſſet redempturus Iſrael. Graue igitur exortum eſt ſcandalum per crucem, quæ etiam electos ad ruinam infidelitatis impulit. quid multa? nullus ne Centurio quidem, & qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum & eũdem crucis ligno affixum vidẽtes, excepta Deipara Maria, à ſcandalo præſeruati fuiſſent, niſi & ſolis obſcurationem & terræ commotionem, & petrarum rupiũque ſciſſionem vidiſſent. quî ergo fieri poſſet, vt qui hæc ſaltem, quæ infirmitatis Chriſti ſunt, conſiderauerit, non periret? Ob id ſcio & vos ſcandalo interituros, ſi hæc dũtaxat penes vos expendere perrexeritis. Si autem hæc mea opera, quæ vobis ob oculos poſui, attẽderitis, & penes vos penſiculatè perſpexeritis, ſcandalum quod hactenus vos à me remouit, non patiemini. hæc enim mea facta fidẽ vobis mei poſſunt ingenerare, & quaſi violenter ad fidem in me pertrahere, ob quam beati eritis nunc quidem in ſpe: tunc autem tandem, quando ſuper omnia bona domini conſtituemini, beatificandi in re. Vnde Chriſtus hic declarat ſuam diuinitatem, niſi enim Deus eſſet, beati non forent, qui in eo non offenderẽtur. Notanter quoque dicit, in me; nõ autem, à me: quia Chriſtus nemini ſcandalum dedit. Verum hæc de Ioannis diſcipulis dixiſſe ſufficiat, iam ad textus interpretationem progrediamur.

Beatus igitur eſt, qui non fuerit ſcandalizatus, hoc eſt, ad ruinam infidelitatis vel peccati adductus in me, hoc eſt, per humilitatem meam, per verba mea, per opera mea, per perſecutiones meas, vel per mortem meam: nimirum propter hæc dubitando de Deitate mea & diuina potẽtia, & credendo me purum hominem eſſe, hoc eſt, ille qui viſis miraculis meis credit me eſſe Chriſtum Filium Dei, &

animad-

animaduerſis infirmitatibus, tribulationibus, & tormentis meis eandem fidem retinet de maieſtate mea,& ſtabilis in fide & charitate perſeuerat,beatus eſt. ſiquidem qui attendit Ieſum non ſecus atque ſi peccator eſſet,cum peccatoribus patientem, hunc qui mortuos reduxit ad vitam, mortem ſuſtinentem:hunc, qui quatriduanum reuocauit à tumulo, in ſepulchro exiſtentem : & tamen in ipſo non ſcandalizatur,indubitatæ atque conſtantis fidei noſcitur, ob quam beatus eſt.

Talis autem tempore paſſionis fuit Maria, Centurio, Ioſeph ab Arimathæa,Nicodemus & fortaſſis quidā alij, qui tempore paſſionis Chriſti, quando maxima apparuit infirmitas humanitatis Chriſti,viderunt pluſquam maxime ſtupenda miracula circa luminaria cæli, petras,& rupes, vt ipſi ſaltem diuina gratia protecti à ſcandalo præſeruarentur. hinc iſta vox Centurionis inſonuit dicēs: Verè hic homo Filius Dei erat.

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICAE TERTIAE ADVENTVS CAPVT TERTIVM.

ILLIS *autem abeuntibus cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne.*] Rogabis,quare Dominus noluit laudare Ioannem niſi digreſſis nuncijs? hoc ob id factum extra controuerſiam eſt: quia ſi illis præſentibus commēdaſſet Ioannem,ſcandalum & ruinā illis præbuiſſet. nam ſi ipſi tunc, antequam Chriſtus Ioānem laudibus euexiſſet,plus æquo de ipſo ſenſerint: quid futurum fuiſſet, poſtquam laudes eius à Chriſto audiſſent? Scandalum itaque exoriturum cauſa extitit, ob quam non niſi regreſſis nuncijs commēdauit Ioannem.

Porro Ioannem apud turbas laudibus ferre voluit: vt vanitatis traducat eos, qui doctrinam eius & baptiſmum non ſatis probauerunt. quaſi dicat Seruator: Ille mihi teſtimonium perhibuit, ſed quotus quiſque veſtrum eſt,qui illi toto animo adhæſit? quotus quiſque veſtrum eſt, qui

ex testimonio ei⁹ in me credidit? quid igitur vobis ꝓdest, ad eũ in desertũ exijsse, si in me credere recusatis, & monita ei⁹ contẽnitis? quid vobis prodest eũ audiuisse, si sermonibus eius fidẽ nõ adhibetis? quid vobis prodest, quod vos ad aliũ miserit se maiorẽ, si ad eũ, ad quẽ vos misit, credituri sermonib⁹ eius nõ properatis? quid deniq; vobis prodest, ꝙ aliquem se maiorẽ vobis ostẽdit, si eius vestigia nõ sequimini? Verũ hæc hactenus, iã sequẽtia prosequamur.

quid existis in desertum videre?] hoc est, cur omissis ciuitatibus atque domibus vestris ad desertum vnà omnes tãta diligentia cucurristis? In qua interrogatione prȩsupponit Christus exisse populum in desertum, vt ibi Ioannem viderent. id quod certissimum erat. nam tota illa regio, vt vel Ioannem in deserto consistentem, videre posset, exierat. vnde in euangelio Matth. 3. scriptum habemus: Exibat ad eum, Ioannem videlicet, omnis Hierosolyma & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem. hinc homines virtutibus præditos in magno tunc precio fuisse perspicimus: quáuis nunc nõ nisi diuites plurimi fieri videamus. Atqui cui dubium quin longe præstãtius sit nos virtutes quàm diuitias venerari. quod & illi nouerunt faciẽdum, qui vel mediocriter in religione Christiana progressi sunt, vt interim taceam hoc nec Ethnicos latuisse. Aristoteles enim inter omnia quæ habentur bona, virtutes maximi fecit. quid ni igitur has magno Christiani æstimarent precio, quibus certo certius est non diuitijs, nec voluptatibus, nec honoribus, nec scientia (quæ omnia inter humana constituuntur bona) sed duntaxat virtutibus nos Deum & cælestia bona promereri posse? In extremo nanque iudicio non perscrutabitur Altissimus, quàm fuerit quis diues, quantis honoribus euectus, quanta sciẽtia eminens; sed solummodo quàm sit virtute præditus. Infiniti igitur cum Hierosolymitanis & reliquis Iudæis æstimabis bonum virtutis, si agnoueris. Sequitur:

arundinem vento agitatam?] Arundinis appellatione hic nobis mobilitas & inconstantia mentis significatur. Arũdo enim vento agitata modo flatibus erigitur, modo flatibus inclinatur. Sic omnis infirmus animus, qui vel derogatione deijcitur, vel laudibus exaltatur: qui vel rebus prospe-

proſpere ſuccedẽtibus credit, vel rebus aduerſis fidem deſerit, arũdo vẽto agitata eſt. Rogat itaque Dñs, Quid exiſtis in deſertum videre, an arũdinem vento agitatam? hoc eſt, nunquid ob hoc veniſtis in deſertum, vt videretis hominem leuem atque inſtabilem, & ſimilem calamo, quem ventus in omnem partem faciliter mouet? nunquid exiſtis in deſertum vt contemplaremini hominem inconſtãtem & ſimilem arundini declinanti quocunque ventus agitat? hominem, inquam, qui leuitate mentis de me dubitet, quem paulo antea vobis prædicauit? quaſi dicat: nequaquam potuiſſetis tot populi tantarum ciuitatum tanto ſtudio in deſertum impelli, niſi magnum quendam & admirabilem virum & petra ſolidiorem Ioannem putaſſetis. nec enim ad videndam arundinem vento agitatam tanto ſtudio in deſertum exiſſetis. magnum igitur ſpectaculum fuerit oportet, quod vos, o Iudęi, tã frequentes vna omnes in deſertum (vbi iucunditas nulla eſt) pertraxit.

Ioannes ergo arundo vento agitata nõ erat, in eo præſertim quaſi de Chriſto ambigeret, quem indice demonſtrans perhibuerat eſſe mundi ſeruatorem, quia inflexibilem mentis ſuæ verticem inter laudes hominum & derogationes tenebat; nec eum proſpera erigere, nec aduerſa deprimere potuerunt. Nos vero ſi laudibus erigimur, vituperationibus humiliamur: ſi proſpera nos erigunt, aduerſa deprimunt, arundo vento agitata ſumus. Sed abſit hoc, abſit inquam à corde excellentiæ noſtræ, vt arundo vento agitata ſimus. magiſtrum enim gentium ſtudioſe legimus, qui ait ad Galat. 1. Ego ſi hominib9 adhuc placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. quis autem noſtrum eſt, qui non malit quàm placere hominibus, Chriſti eſſe ſeruus? nimirum cùm Pſalmiſta apertiſſimè dicat: Pſal. 52. Deus diſſipauit oſſa eorum, qui hominibus placent: confuſi ſunt quoniam Deus ſpreuit eos. Laboremus igitur & exoptemus potius Chriſto quàm hominib9 placere: quod ſi fecerimus, fieri non poterit, vt vel proſperis extollamur, vel aduerſis frangamur. nam qui firmiſſimo fundamento Chriſto inniti volunt, mentis fortitudinem inter linguarum flatus inflexibilem cõſeruabunt. quemadmodum & domus illa, cuius fundamentum firmatum erat ſupra petram,

tram,irruentibus vndarũ procellis dimoueri non potuit.

Sed rogabis,quare Dominus Ioannem hîc de constantiæ firmitate commendet? Respondeo hoc ob id factum esse: quia plebs ignara,quo consilio Ioannes Christũ per discipulos interrogasset, suspicari poterat Ioannem ex leuitate mentis antea de Christo testimonium tulisse: nunc autem ex ignorantia sciscitatum esse,& ex mentis leuitate de Christo dubitasse, nec in priori (quod toties Christo dederat) testimonio perseuerasse: ex quo plurimum promanasset mali. Nam tunc vniuersa Ioannis Baptistæ testimonia nihil omnino profuissent. Expediebat igitur, imo necessarium erat,quo populus ad fidẽ in Christum adduci posset cõmodius,vt hic quã optimè de Ioãne sentiret,qui tã pręclarè testificatus erat de Iesu,ꝙ esset filius Dei,quod esset agnus qui tolleret peccata mundi, quod is esset qui baptizaret in Spiritu sancto & igni. vt igitur verbis Ioannis põdus adijceret, vt populum ad testimonium eius recipiendum prouocaret, vt denique populus Ioannem de Christo non dubitasse,vero verius esse cognosceret:cœpit Christus Ioãnis laudes deprędicare. hinc adhuc sequitur:

Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum?] subauditur vestimentis. Nam hic græca habent: ἄνθρωπον ἐν μαλακοῖς ἱματίοις ἠμφιεσμένον; hoc est, hominem mollibus vestimentis amictum? quasi dicat, quod non. Vnde commendat eum ab austeritate vitæ. nam veste è camelinis pilis contexta, & cingulo pelliceo contra frigoris & æstus iniurias, locustis & melle syluestri contra famem vsus est: & austeram vitã aulicis prætulit delicijs.Id quod omnino eum decuit,cuius partes erant & aspera inuiaque in vias planas redigere,& pœnitentiam prędicare.Is enim merito debebat pœnitentiæ & vitæ asperitatem nõ solum habitu;verum etiam victu ostendere. Verum nos omnino contrarium facimus. nam quamuis nostri muneris sit & paupertatem Christi & eius crucem prædicationibus attollere,alijsque commendare, quo exactius Christi vestigia sequantur: tamen ad diuitias & mundi gloriam sedulo aspiramus & crucis mysteria operibus dãnamus: adeo vt parũ absit,quin sacra vitæ monasticæ,omnisq; vitæ austerioris disciplina, tanq̃ Pharisaismus dãnabilis à nobis vite-

vitetur. O tempora, o mores! Annõ & nos deceret, vt quod verbis prædicamus, etiam idipſum alijs exemplo exhibeamus? an æquum eſt vt diuitiarum & gloriæ mundi ſpirãtes, Chriſti paupertatem & crucem buccis concrepantibus ventilemus? An crucis Chriſti prædicatoribus, crucis ſymbola operibus damnare licebit? An bacchanalia viuentes locuſtas Baptiſtæ debitè canent? Conſuetiſſimum ergo fuerit Eccleſiaſtæ, qui populum ſuis prædicationibus ad pietatem pertrahere deſiderat, vt quod docet verbis, etiam foris declaret operibus: vt noſter ille fecit Baptiſta. nam qui Baptiſtam Chriſti, atque adeo Chriſtum ipſum (qui primum facere, deinde docere cœperũt) in humili illa & contemptibili ſpecie, vtrique illorum peculiari, fugit; ab illis alienus ignorabitur. Sequitur:

Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt.] hic græca exemplaria habent. ἰδοὺ οἱ τὰ μαλακὰ φοροῦντες ἐν τοῖς οἴκοις τῶν βασιλέων εἰσὶν, hoc eſt, Ecce qui mollia geſtant, vt ſubaudias veſtimẽta, in domibus regum ſunt. Atque ita Matthæus mollium duntaxat meminit veſtium, Lucas autem & deliciarum, dicens: Ecce qui in veſte preciosa ſunt & delicijs, in domibus regum ſunt. quaſi dicat: qui ita ſe rebus exterioribus dedunt, vt potiſſimũ vitę præſentis molliciem & delectationem in veſtibus & delicijs quærant, pro Deo aſpera deſerti perpeti refugiunt. nam ſe mollibus non ornant, vt in deſertum, ſed vt in publicum prodeant, vt ibi cæteris honorabiliores eſſe videãtur. quod vel ipſa res teſtatur. nemo enim vult ibi precioſis veſtibus indui, vbi ab alijs non poſſit videri. quapropter ſi mollibus veſtitos quærendo inuenire velimus, non deſertum, ſed domos regum adire debemus. Porro ſi non niſi vt ab alijs videamur, his induimur: has nos ad inanẽ gloriã vſurpare manifeſte conſpiciamur. vnde conſtat his innumera generari animæ nocumenta, nimirum faſtum ſpiritus, arrogantiam, deſpectum proximi, animæ corruptionem, & voluptatum illicitarum fomitem. hinc Gregorius: Nemo ergo exiſtimet in luxu atque ſtudio precioſarum veſtium peccatum deeſſe. quia ſi hoc culpa non eſſet, nullo modo Ioannem Dominus de veſtimẽti ſui aſperitate laudaſſet. ſi hoc culpa non eſſet, nequaquam Paulus apoſto-

apostolus per epistolam fœminas à preciosarum vestium appetitu compesceret dicens: non in veste preciosa. Sed & diues ille, qui apud inferos torquetur, preciosis & mollibus indutus fuisse nō ociose memoratur. hæc Gregorius: Nos igitur ne animam nostram his commaculemus, quęramus ad induendum non quod subtilius, sed quod vtilius inuenitur: quæramus non quod superbire compellat, sed quod frigus repellat: quæramus non quod venustius ostentari, sed quod statui decentius cōuenire potest. Præterea qui istius seculi delitias expetunt, in desertum sese, vt eas adipiscantur, non recipiunt: cùm sciant ibi nullas reperiri posse. Delicijs igitur dediti in loco ab hominibus deserto frustra quæruntur: sed & ipsos quærere, si eos inuenire velimus, in domibus regum debemus. Sequitur:

Sed quid existis videre? prophetā?] hoc Christus quærit: nō negat: quin potius auget & roborat. Ioānes enim certissime Propheta extitit, iuxta illud Luc. 1. Tu puer propheta Altissimi vocaberis. nā & Christi baptisma prędixit & mortem. Baptisma quidē Matth. 3. dicēs: Qui post me vēturus est, fortior me est. & paucis interpositis subdit: Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni. mortem vero Ioan. 1. dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, quemadmodum in sequentibus declarabitur. Sequitur:

etiam dico vobis, & plusquam prophetam.] hoc ad nullū certum prophetam accommodari potest, cùm illū omnibus anteponat. Ceterum Ioannes plusquam propheta extitit. nam Prophetæ est futura prædicere, non etiam demonstrare. Ioannes ergo plusquam propheta erat, quia quem alij prophetæ venturum esse prædixerāt, hic solus iam venisse digito monstrauit, dicens: Ioan. 1. d. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Insuper & Ioannes plusquam propheta erat, quia omnium prophetarum dominum baptizauit, quod ipsum maximæ erat dignitatis. siquidem inde & Baptistę nomen illi est inditum. Denique Ioannes plusquam propheta erat, quia supra ceterorum prophetarum morem nondum natus prophetauit. Verum missis his rationibus, ob quas Ioannes merito plusquam propheta dictus est, alias eiusdem rei rationes, quæ Saluatoris nostri sunt, videamus. vnde sequitur:

hic est

hic est enim, de quo scriptum est] nimirum Malach. 3. a.

Ecce ego mitto angelum meum,] Si autem Ioannes angelus Dei à Propheta nominetur, manifestũ est eũ reliquis prophetis maiorem fuisse. nam qui angelus erat, quid ni hominibus iure prælatus esset. hoc tamen non ita accipiendum est, atque si angelus naturæ hic nomẽ esset, cùm officij nomen sit. siquidem Ioannes nõ natura, sed officio angelus erat. quod vel ex vnico Ioãnis Euangelistę testimonio omnibus conspicuũ esse potest. Is enim capite sui Euágelij primo ait: Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. si autẽ homo extitit Ioannes, ergo natura angelus esse non potuit. Si autem natura angelus nõ fuerit, relinquitur eũ officij dignitate angelũ fuisse. qui enim grę- ce angelus; hic Latine nuncius dicitur. Ioannes tamẽ qui nunciare supernũ nuncium venerat, non nomine nuncij, sed angeli exprimitur. quia nunciando Christi aduentum opus angeli exercebat.

Sed dices, si Ioannes natura angelus nõ fuerit, sed duntaxat officio: igitur ex eo colligi nõ potest, Ioannẽ reliquis prophetis maiorẽ fuisse: nimirũ cùm & alij prophetæ, officio angeli fuerint. Respondeo verum quidẽ esse & alios prophetas officio angelos fuisse, sed non tali officio, quale Ioannes exercebat. Non enim aliorum, sed solius Ioannis erat Christũ demonstrando dicere. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Præterea Ioannes angelus dictus est non solum ab officij dignitate; verum etiam à vitæ puritate: quia angelicam agebat in terris vitam. ná post materni ventris hospitium adhuc paruulus heremi deserta sectatus, oculis spectantibus Christum, nihil aliud aspicere dignatus est; & cũ esset supra terrena eleuat⁹, rerũ visibilium delectatione non est captus, sed inextinguibili superno igne arsit: ex imo pectore ad superna anhelauit, terrena iam omnia per mẽtis displicentiá calcauit: cęlestia noxiæ ignorãtiæ depulsa caligine sapide intellexit: secretis diuinorum operũ est delectatus, atque in aĩo suo thronum iustitiæ Christo parauit: adeo vt in terris tam egerit præclaram vitá, vt Christus Dei filius, nedũ angelus putaretur. ne tamẽ homines in eo persisterẽt errore, ipsemet vt erat mirũ in modũ humilis, se Christũ nõ esse cõfessus est.

ENAR-

ENARRATIONIS EVANGELII
DOMINICAE TERTIAE ADVENTVS, CAPVT QVARTVM.

ECCE EGO *mitto angelum meum ante faciem tuam:*] Euangeliſta hoc loco ſenſum magis quàm verba Malachiæ allegat, non curans de ſyllabis, punctiſque verborum: dum modo ſententiæ veritas transferatur. quod quidem & in pluribus alijs locis Euangeliſtas feciſſe indubitatum eſt. Sic igitur habet Malachias: Ecce ego mitto angelum meum & præparabit viam ante faciē meam. quod quamuis ex perſona Filij dictum intelligi poſſit, ſi Hieronymo credimus: tamen quia hæc noſtri Euangelij verba non niſi ex perſona Patris dicta eſſe videntur: ideo & ipſa Malachiæ verba hîc ex perſona Patris dicta intelligemus: atque ſi dictum ſit. Ecce ego Deus pater mitto angelum meum, nimirum Ioannem Baptiſtam, & præparabit viam ante faciem meam, hoc eſt, ante faciem Dei patris. Porro nos hic habemus non quaſi Ioannes Baptiſta pręparauerit viam ante faciem Dei patris, ſed ante faciem Chriſti. Verum ſententia vtriuſque loci eadem eſt. nam ſicut Ioãnes præparauit viam ante faciem Chriſti; ſic etiam ante faciē Dei patris. Homines enim non ſolum præparauit Ioãnes ad Chriſti, verum etiam Dei patris notitiam habendam. quod igitur apud Zachariã Deus pater dicit Ioãnem miſſum ante faciem ſuam: hoc idem Chriſtus apud Euãgeliſtam cõuenienter introducit, ad ſignificãdum Deum patrem miſiſſe hunc eundem Ioãnem ante faciem non Dei patris, ſed ſuam. ac ſi Pater dicat: ne tuus o fili aduentus imparatus atque improuiſus eſſe videatur. Ecce ego Deus pater mitto angelum meum Ioannem Baptiſtam ante faciem tuam.

Et hinc colligit Chryſoſtomus Ioannem reliquis prophetis fuiſſe maiorem: quoniam propinquior erat Chriſto venturo. Mitto enim, inquit, angelum meum ante faciem tuam. qui autem ante faciem eſt, is proximus eſt. quemadmodum enim hi, qui in militijs collaterales ſunt regibus, digniores & familiariores alij ſunt: ſic & Ioãnes

proxime ipsius aduentum præcedens, reliquis prophetis clarior est. quamuis igitur Moyses alijs prophetis præferatur, iuxta illud Deut. vlt. non surrexit propheta vltra in Israel sicut Moyses: tamen quia hoc intelligendum est de prophetis veteris Testamenti, non solum non erit inconueniēs si Ioannes Baptista Moysi præferatur; verum etiam hoc rationi consentaneum erit, eo quod ad nouum Testamentū pertinuerit. iuxta illud Matth.11.Lex & prophetæ vsque ad Ioannem. ministri autem noui Testamēti magis reuelata facie gloriam Domini speculātur, vt habemus posterioris ad Corinth. 3.d. hoc modo: Nos vero omnes reuelata facie gloriā Domini speculātes, in eandē imaginem trāsformamur à claritate in claritatē tanquā à Domini spiritu. Vbi expresse Apostolus non solum Ioannem Baptistam, verū etiam se & alios apostolos & Moysi & omnibus alijs prophetis veteris Testamenti præfert: in eo quod magis reuelata facie gloriam Domini speculantur. nam quo propinquiores Christo, eo magis erant illuminati & dignitate præstantiores. Et merito Baptistæ nostro maior saluatoris notitia collata erat. Decebat enim vt qui pręcursor erat Saluatoris, & eiusdē demonstrator, maiorem haberet quàm ceteri prophetę Saluatoris notitiam.

Ex quo rursus manifestum euadit Ioannē nullo modo dubitasse: primo, an Christus pro hominibus esset moriturus: secūdo, an in propria persona descēderet ad inferna. quamuis Gregorius dicat Ioannē de ijs dubitasse. Si enim Ioannes proxime Christi aduentum præcedēs, vtpote noui Testamenti minister in notitia seruatoris mundi abundantius quàm præcedentiū prophetarum quisquam illuminatus fuerit: quomodo hæc ignorare potuit, quæ nemo non prophetarum sciuit? aut quomodo non cognouisset, quę alij scripserunt? Alios autē hæc & cognouisse & scripsisse manifestū est. nam Esaias apertissime prædixit cap. suæ prophetię 53. quasi ouis ad occisionē ducetur & tanquam agnus corā tondente se obmutescet. nec solum quod crucifigeretur, verū etiam cū quibus crucifigeretur Esaias prædixit, dicens: cum iniquis reputatus est. Dauid quoque ante Esaiam ipsum crucifigendi modum expressit Psal.21.d. Foderūt, inquit, manus meas & pedes meos &

dinumerauerũt omnia oſſa mea. Deinde & de ijs, quę milites facere auſi ſunt, exquiſite locutus eſt, dũ dixit: Partiti ſunt veſtimenta mea & in veſtem meã miſerunt ſortẽ. nec de aceto, quod Chriſto allatũ eſt in cruce, tacuit. Dederũt (inquit) in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. hęc omnia paucis verbis Hierem. ſuo cap. 11. complexus eſt, dicens: Ego quaſi agnus mãſuetus qui portatur ad victimam. & Daniel ſuo cap. 9. poſt hebdomadas (inquit) ſeptuaginta duas occidetur Chriſtus. Sed quorſum huius aut illius prophetæ teſtimonia enumerare pergo, cũ dicat Petrus Act. 3. c. Deum hæc per os omniũ prophetarũ pronunciaſſe? Porro de Chriſti deſcenſu ad inferos habemus Pſal. 67. hoc modo: *Aſcẽdiſti in altum, cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus.* & Zachariæ nono: Tu quoque in ſanguine teſtamẽti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo nõ eſt aqua. Et Oſeæ 13. O mors ero mors tua: morſus tuus ero o inferne. Id quod & illi, qui atra inferorum caligine detinebãtur, ſciebant. nec ſolum ſciebant Chriſtum eſſe natum, verum etiam cognoſcebant eũ iam eſſe virilis ætatis: quia eius infantiam lõgo ante tempore à Simeone & Anna, & parentibus Ioannis Baptiſtæ audierant. quapropter iam iam Chriſtũ ad inferos deſcẽſurum & ipſos liberaturum expectabãt. quî ergo fieri potuit, vt Ioannes qui magis reuelata facie gloriam Domini contemplabatur, & reliquis prophetis magis illuminatus erat, iſta ignoraret? aut quomodo maior prophetis Ioannes qui vel ipſa, quę prophetæ prędixerũt, neſciebat? Cum ergo illi vtrumque horum (vtpote Chriſtum paſſurum, & ad inferos deſcenſurum) agnouerint, & nobis in ſcriptis reliquerint: certiſſimum eſt & Ioannẽ, qui amplius illuminatus erat quàm prophetę veteris teſtamenti, iſta nõ ignoraſſe. abſit enim vt vox Chriſti voces ignorauerit prophetarum. imo ſi rite verba eiuſdem Ioannis perpẽdas & ipſe manifeſte Chriſtum paſſurum prædixit. Quid enim aliud ſibi vult quod dixit Ioan. 1. d. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, quàm quod Chriſtus in cruce ad abluenda noſtra peccata offerendus eſſet? aut quare Chriſtum agnum nominaſſet, niſi pro nobis immolandus & in crucis patibulo ſuſpendendus fuiſſet? Idem ſignificauit dum

dum subiunxit, qui tollit peccata mundi. non enim alia quàm per crucem via peccata mundi abstulit. qui autem hoc prophetauit, quomodo ignorare potuit & hũc ad inferos descensurum? an is qui sciebat, quod Christus eò sese demitteret, vt pro nobis ignominiosissimam mortem sufferret, ignorare potuit an & eò sese deijceret, vt ad inferos descendere dignaretur? An non filio Dei indignius erat tam probrosam & ignominiosam, quàm ad inferos descendere, sufferre mortem? Verum de his plus satis, iam ad textum redeamus.

qui præparabit viam tuam ante te] hæc est alia causa propter quam Ioannes erat plusquã Propheta. nam alij prophetæ missi sunt, vt aduentum eius annunciarent: Iste autem vt præpararet viam ipsius. quæ longe diuersa sunt. nam aliud est aduentum eius annunciare; aliud est viam præparare. nunciantibus aduentum eius prædicationis sermo commissus est: præparãti autem vias, humanæ correctionis opus iniunctum est. Ioanni igitur prouincia hęc delegata erat, vt humanæ correctioni operam daret, non quidem qua homines à vitijs ad virtutes reuocarentur: nã illam & alijs Prophetis incubuisse dubium nõ est; sed potissimum quã homines ad opera tunc insolita & euangelica, nimirum ad peccatorum confessionem & baptismũ, quæ ante illud tempus exerceri non solent, dirigerentur.

Sciendum igitur est, Ioannem multipliciter & præcipue rebus tribus: quibus alij prophetæ præfecti nõ erant, viam Christo præparasse. Imprimis sua fideli demonstratione, de qua Ioan. 1. d. dicitur: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Deinde suo baptismo, quo homines baptizari insolitos, ad suscipiendum baptismum assuefecit. hinc dicitur Marc. 1. quod baptizabantur ab illo in Iordanis flumine. quod qua de causa fecerit, ipsemet Ioannes, Ioan. 1. explicat, dicens: Vt manifestetur in Israel, propterea ego veni in aqua baptizans. Denique pręparauit viam Christo, homines ad confessionem peccatorum inducendo. vnde & Marc. 1. dicitur, quod egrediebatur ad eum omnis regio Iudeæ & Ierosolymitæ vniuersi, & baptizabantur ab illo in Iordanis flumine, confitentes peccata sua.

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICÆ QVARTÆ ADVENTVS,

CAPVT PRIMVM.

Euangelium solus Ioannes describit capite suo 1. c.

IN ILLO *tempore, miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannē, vt interrogarent eum, tu quis es?*] totus Euangelij huius intellectus dependet ex eo, an Iudæi miserint ad Ioannem animo calumniandi ipsum, & ex malitia: an vero simplici & bono erga ipsum affectu, verè dubitantes, an esset Christus & bono hoc animo discere cupiētes. Et animaduersis omnibus apparet quod non ex malitia sed ex vera dubitatione moti fuerint ad inquirēdum an esset Christus. nec hoc sólum ex vno scripturæ loco, verum pluribus ostendi potest.

Imprimis ex eo quod Matth. 3. b. legitur. Tunc exibat ad eum Hierosolyma & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem: & baptizabantur ab eo in Iordane confitētes peccata sua. Vnde apparet quòd Ioannes apud eos maximę erat authoritatis & plurima flagrabat gratia. nisi enim omnes sublimia de Ioanne sensissent, & maximo in precio habuissent; ad eum in desertum, vt ei cōfiterentur, & ab eo baptizarentur, non abijssent.

Deinde ex eo quod Luc. 3. d. legitur: Existimante autē populo & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus. nam si omnes existimauerint eum esse Christum, euidentissimum est signum eos non ex malitia, sed bono erga ipsum affectu hoc percontatos esse.

Rursus ex eo etiam quod Ioan. 5. f. legitur: Ille erat lucerna ardens & lucens: Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius. quod quid aliud est quàm Iudæos ad tempus existimasse Ioannem ob vitæ rigiditatem, quæ in

operibus

operibus maxime consistit, esse Christum? Sed obijcies fortassis huiusmodi existimationem de Ioanne habuisse non scribas & pharisæos, sed imperitum Iudæorum vulgus: & ob id ex eo constare non posse; quod Pharisæi ex reuerentia, non autem ex malitia interrogatum Ioannem miserint. Verum rem aliter se habere manifestissime indicat contextus Euangelij Ioan. 5. f. Vbi expresse habetur eos ad horam exultare voluisse in luce Ioannis, qui prius Ioannem interrogatum miserāt, quos scribas & pharisæos fuisse, non aūt vulgares & indoctos ex hoc Euāgelio luce meridiana clarius est. nam imperitu Iudęorum vulgus tātæ authoritatis non erat, vt sacerdotes & leuitas Ioannem interrogatum mittere posset. Eos igitur qui miserant ad Ioannem, summos tum scribas, tum pharisæos fuisse dubium non est: quos eosdem fuisse Christus asserit Ioan. 5. f. qui ad horam voluerūt exultare in luce eius. Scribæ enim & pharisæi quia iustitiam operum plurimi faciebant, cum viderent Ioannem nō humanam, sed angelicam in terris vitam agentem, qualem ipsi imitari non poterant, ipsum esse Christum suspicari cœperunt.

Insuper eum excellentissimæ authoritatis ex eo, quod primo omnium baptizare ausus est, putauerūt. vnde Ezechielis 36. scriptum habemus. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamētis vestris. Id quod scribæ & pharisæi in aduentum Messiæ implendum rectissimè sentiebant. nam nouæ purificationis ritus, cuius hic meminit Ezechiel, ad Messiam, qui in lege promissus erat, verissimè, vt ipsi existimabant, pertinebat. quapropter nec Ioannes illud, quod in spiritu sancto & igni conferendum erat, administrabat: sed longe aliud, quod duntaxat in aqua, figura & imagine ab ipso pręcursore administrandum erat, dabat. Sed cūm scribæ & pharisæi illius ab hoc baptismo distinctionem ignorarēt & Ioannem illud administrare putarent, in eam peruenerunt opinionem, vt eum esse Christum existimarent.

Quod etiam ex huius Euangelij verbis colligi potest, Videmus enim in hoc Euangelio mittentium magnificētiam, dum dicitur; Miserunt Iudæi ab Hierosolymis. Iudæi, inquam, qui ceteris & nobiliores & superiores erant;

quiq́ue ſcientia & religione alios excellebant: miſerũt ſacerdotes & leuitas ex ſumma illa & principe ciuitate Hieruſalem, quæ & metropolis vniuerſæ erat Iudeæ & caput regni, ciuitas quoque ſacerdotalis & regia: in qua ſapientiſſimi, doctiſſimi, opulentiſſimiq́ue tunc degebant Iudęi: vbi & templum erat & cultus ille Domini. Hi, inquam, inſignes viri miſerunt ad Ioannem, nõ Herodianos, ſicut ad Chriſtum, nec Pilati ſatellites, aut alios infimæ ſortis homines & abiectos: ſed ſacerdotes & leuitas totius populi decus & ornamentum, qui quoque (vt ſequitur in hoc Euangelio) ex phariſæis erant, quæ honeſtiſſima tunc inter Iudæos erat ſecta. Id quod hi ter maximi viri nequaquam feciſſent, niſi Ioannem Chriſtum eſſe exiſtimaſſent.

Denique quod hoc exiſtimauerint, ex ipſa re & negocio quod agebatur, cognoſcimus. hoc enim illis incumbebat munus, vt inquirerent, Meſſias ne ille eſſet. hinc Ioannes interrogatus quiſnam eſſet non interrogationi nec verbis, ſed intentioni eorum & animo, quo illi percontabantur, reſpondet. nam cùm dixiſſent, Tu quis es? non reſpõdet continuo, quod recte reſpondendum erat, Ego vox clamantis in deſerto, &c. ſed eorum primum peruerſam ſuſpitionem amouit, dicens: Non ſum ego Chriſtus. Id quod Ioannes profecto non reſpondiſſet, niſi ipſorũ fuiſſet intentio ipſum ſuper hoc interrogandi. Reſponſio namque interrogationem eiuſdem expreſſæ vel implicitæ, quæ reſpondetur, rei præſupponit. quia igitur ſe Chriſtum non eſſe reſpondit, euidentiſſimum eſt ſignum eos non de claritate generis, nec de nomine, quæ eis cognita erant: ſed de dignitate, officio, & gratia & an Chriſtus eſſet, interrogare voluiſſe. nam ob ſanctimoniam vitæ Ioannis ſe dubitare an ipſe ſit Chriſtus, indicant. noluerunt tamen id aperte in ſua interrogatione proferre, ne temerarij putarentur. quapropter & hi maximam exhibuerunt Ioanni reuerẽtiam in ipſo interrogationis ordine & proceſſu, dum à maioribus ad minora interrogantes deſcendunt.

Rogabis fortaſſis quare ad Ioannem vt interrogarent eum an eſſet Chriſtus potius miſerint quã ad alium aliquẽ præcedentem prophetam, ſcilicet Heliam aut Helizeum, aut ali-

aut aliquem alium viciniorē Christo? quia Iudæi tempus aduentus Christi tunc nondum aduenisse sciebant, sed dū Ioannes viuebat, tempus aduentus Christi iam adesse euidentissimè cognoscebant: idque ex prophetia patriarchæ Iacob, qui prædixerat eis Genes. 49. Non auferetur sceptrum de Iuda & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est. vnde quia tempore Heliæ & Helizei nondum ablatum esse sceptrū videbant, ad eos non miserunt. Verum quia tempore Ioannis Baptistæ ablatum esse sceptrum de Iuda & ducem de femore eius res ipsa loquebatur; ideo tēpus aduentus Messiæ adesse certissime sciebāt. quemadmodū & ex Danielis annalibus hebdomadibus, quas iam finitas videbant, aperte perspectum habebant. Vnde in ore erat omni populo & solemnis & magnus rumor non solum apud Iudæos, verum etiam apud Samaritanos Christum iam aduenisse. hinc Ioan.4. Scio, ait mulier Samaritana, quia Messias venit qui dicitur Christus; cum ergo venerit ille, annunciabit nobis omnia. quapropter multi reminisci cœperunt testimonij pastorum de Christi aduentu, Annæ prophetissæ, iusti Simeonis, trium magorum, & occisionis infantium. vnde Messiæ sibi nomen nonnulli Iosepho teste temerario ausu vsurparunt. quemadmodum Theodas & Iudas Galilæus, de quibus habemus Actorum quinto.

Ex quibus vel puero perspicuum est modernos Iudæos tota errare via, quos in hodiernum vsque diem expectare aduentum Messiæ non pudet. quis enim nō videat ex hac legatione, ex patriarchæ Iacob prophetia, & ex Danielis annalibus hebdomadibus Israelem certo cognouisse tempus illud, quo in terris agebat Ioannes Baptista, fuisse tempus aduentus Messiæ? qui fit ergo vt nostri temporis Iudæi illud tempus adhuc expectent? Huius rei aliam non scio causam, quàm quod velamen, quod Iudæos hactenus excruciauit, nondum est à cordibus eorum semotum, idq; eorum culpa, dum in vnigenitum Dei filium nobis à patre missum Messiam, credere nolunt. In quem si crederent & obuijs vlnis acceptarent, apertissime cognoscerent suos prædecessores rectissime sensisse illud fuisse, quo Ioannes Baptista apud nos egit in terris, nec esse aliud Messię tem-

pus expectādum. quamobrem nunc peruerſe, tunc autem rectiſſime expectabatur Chriſti aduentus. Quum autem feruentius tunc expectaretur, & Ioannes eſſe Chriſtus, Iudaicę gentis liberator, exiſtimaretur: tranſmittunt ad eum ſolemnes nuncios ſcire cupientes, an ipſe ſe Chriſtum eſſe fateretur, eidem credere parati, ſi ſe Chriſtum eſſe aſſereret. vnde dicit Chryſoſtomus, quod adeo fide dignū æſtimauerunt Ioannem, vt ei de ſeipſo teſtimonium dicenti crederent. neque enim niſi eius fuiſſent ſententiæ, ipſum interrogatum miſiſſent quid de ſe diceret. noſtis enim ꝙ de ſe dicentibus, his duntaxat maxime fidem adhibemus, quos veriſſimos arbitramur.

Rogabis, quî factum ſit, vt Ioannes tantæ æſtimationis eſſet, vt Chriſtus putaretur? Reſpondeo Ioannem in tantam hominum admirationem deueniſſe propter miraculoſam eius natiuitatem & cetera mirabilia, quæ eo naſcēte fiebant: quæ (vt in Luca habemus) ſuper omnia montana Iudeæ diuulgabantur. vnde in multorum tunc temporis adhuc fuere memoria.

Deinde propter generis nobilitatem. maximi enim ſacerdotis filius erat, qui ſimul etiam de tribu regali exiſtebat. quapropter natales eius adeo celebres erant, vt vulgo diceretur, quis putas puer iſte erit?

Tum etiam propter ſingulares eius virtutes, excellentē ſanctitatē, auſteritatē vitæ, & vitam angelicā. Induebatur namque Ioannes veſte pilis camelorum contexta, zona pellicea cingebatur, vino & ſicera abſtinebat, antrum cubile erat, cibus locuſta & mel ſylueſtre. quocirca omnibus erat admirationi.

Rurſus propter doctrinæ excellentiam & diſcipulorum frequentiam.

Denique propter baptiſmi eius (vt prædictum eſt) nouitatem. Ob hæc enim dignum eum reputabant, quē facerent maximi, amarent vnice, honorarent obſeruanter. Vnde pro comperto habetur, & res ipſa indicat ſacerdotes & leuitas Ioanni non fuiſſe inſidiatos, ſed potius ei, ſi ſe Chriſtum aſſeruiſſet, fuiſſe crediturος.

Hinc animaduertite quàm vehementer fuerit Ioannes hic prouocatus ad ſuperbiam. nam ſicut per ſerpentē tentata eſt

tata est Eua, vt semet compararet Deo, Gene. 3. dum ei dicitur: Scit Deus, quod in quocunque die comederetis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij scientes bonũ & malum: ita hic Ioannes tentatur in deserto à sacerdotibus & leuitis, vt se Christum esse profiteretur. Verum quia ille arundo non erat qui vento suggestionis & tentationis huiusmodi agitari posset, ideo solide substitit in se, ne humana opinione raperetur inaniter super se. hinc sequitur:

Et confessus est] puta veritatem, vt decebat veritatis pręconem, amicum, & paranymphum.

& non negauit,] scilicet quod prius in hoc primo capite Euangelij Ioannis asserere non dubitauit, hoc est, propter oblatum sibi à sacerdotibus & leuitis Messiæ ter maximum titulum non retractauit testimonium antea Iesu datum, cùm diceret Ioan. 1. b. Hic erat, quem dixi: qui post me vẽturus est, ante me factus est. quia prior me erat. & de plenitudine eius nos oẽs accepimus, & gratiam pro gratia. quia lex per Moysen data est; Gratia & veritas per Iesum Christum facta est. hoc enim iam non solum non reuocauit, verum etiam Iesu Nazareno ingenue, sicut antea, suam authoritatem asseruit, & iterato testimonio vindicauit, atque à se hunc triumphalem Messiæ titulum, etiá si præsciret se in tanto precio in posterum nõ habendum, quàm potuit maxime, semouit.

Vnde hic nobis insignis Ioannis constantia ob oculos ponitur. fortem enim & inuictum animũ habeat necesse est, qui fauorem & odium hominum æque cõtemnit, quíque nec promissis nec minis à veritate abducitur. quis est hic? & laudabimus eum. Rara est huiusmodi constantia. Rectissime igitur Christus asserit Ioannem constantis virum animi fuisse, nec fuisse arundinem, quæ omni vento moueretur. hinc discamus & nos potiorem ducere veritatem & fidem quàm odium hominum aut fauorem. Sequitur:

& confessus est.] hæc repetitio constantiam Ioannis exaggerat. quasi dicat Euãgelista, Ingenuè ac liberè, palam & publicè quod res erat, confessus est.

quia non sum ego Christus] Prophetarũ oraculis & Moysi voce promissus. hæc Ioannis respõsio ipsum fide dignum

faciebat. qui enim non quærit gloriam suam, humilis & verax est, & iniustitia in eo non est. Ioannes autem nō sibi gloriam quæsiuit: sed ad Iesum Nazarenū eos misit. Vnde plane nobis Ioannis humilitas fit manifesta: qui cùm tantæ virtutis esset, vt Messias & Christus credi posset: tamen noluit sibi Christi nomen fallaciter vsurpare, nec præsumpsit rapere; quod sibi scribæ & pharisæi volebant offerre: sed ingenuè & publicè se non esse Christum confessus est, etiam si nō ignoraret suam authoritatē à se hactenus possessam hac confessione mirum in modum obscurandam. Id quod ille, vt se intra claustra humilitatis teneret, susque deque tulit: etiam tunc, cum de ipso amplius quàm se haberet rei veritas, crederetur. Vnde & nos discimus, si forte fama virtutem excesserit, ne super id quod res est, rapiamur. quod tamen, proh dolor, aliquando secus à nobis fieri non est dubitandum. An non subinde statim mirus animo nostro accrescit tumor, & cristas tollimus, quoties nobis aliquid, quod magnum est, tribuitur, etiam si id nobis deesse sciamus? An non subinde mirabilia de nobis ipsis præsumimus, etiam si ea in nostra potestate non esse sciamus? Discamus igitur, qui tales sumus, à Ioanne humilitatem, ni ab Altissimo velimus haberi despectui. nam quanto quis maior est in oculis suis: tanto est despectior & vilior in oculis Dei. Idcirco nos non iactemus, non nos exaltemus, nil de nobis præsumamus, nil nobis, quod nostris viribus impar esse cognoscim⁹, tribuamus. nā deuoti famuli est non solum non rapere gloriam Domini, sed & oblatam à multis respuere. hoc frugi serui officium est nō solum Domini sui gloriam non aucupari, sed & à multitudine tributam propulsare. Rogabis fortassis, quænam tantæ humilitatis Ioannis extiterit causa? Respōdeo quod in se dum rogaretur, quis esset, descendit. quod seipsum quum in se descenderet, cognouit. quod quàm esset miser, inops, abiectus, & vilis intellexit. nam hinc omnis vitæ probitas oritur, quod nullus sibi placere, nec quisquam sibi aliquid præter meritum attribuere studet. Econtrario hinc omnis vitæ pestis proficiscitur quod sibi quisq; blāditur & quantum alijs præter æquum detrahit: tantum sibi philautiæ vitio præter meritum tribuit. Ioannes autem

sibi

ſibi blandiri noluit,nec ſemel,quod nos facere ſolemus, mente reuoluit:ſi me dixero non eſſe Chriſtum,non tanti fiam atque prius factus ſum: & me, ad quem confugere vniuerſus ſolet populus,relicto, ad verum Meſſiam excur rent eum in precio habituri,me autem neglecturi,& contemptui atque deſpectui habituri; verbaque mea poſthabituri. hæc,inquã,& alia huiuſmodi,quæ nos duceremus maximi, huius non fecit. Idque propterea quod ſeipſum dum rogaretur quis eſſet, cognouit. quapropter maximæ virtutis eſt hominem ſeipſum cognoſcere. Ad quod & nos ſi nobis recte conſultum velimus, ſumma ope niti decet: nec illius nobis deeſt oportunitas. Nam quemadmodum ad Ioannem miſſi ſunt Sacerdotes & Leuitæ vt interrogarent eum,tu quis es: ita quoque frequenter deſtinãtur ad nos,dum confeſſio facienda eſt,ſacerdotes, vt vnũquemque noſtrum interrogent,tu quis es? quod dum rogamur iterum atque iterum curemus, vt meminerimus, quantis in ſordibus concepti ſumus,quantis nati, quàm nudi,quã inopes,quàm bruti, quàm miſerandi in hanc lucem prorepſimus,quàm miſerum & quantis calamitatibus & miſerijs obnoxium ſit hoc mortale corpus noſtrum. vnde Abraham ſumma cum modeſtia & humilitate ad Dominum dicebat Gene. 18. Loquar ad Dominum meum,cum ſim puluis & cinis. Rurſus laboremus vt memores ſimus quàm grauibus & enormibus poſt baptiſmum animam noſtram peccatis commaculauimus: quàm negligentes in obſeruandis Dei præceptis nos præſtitimus. hoc ſi fecerimus,& noſmet ipſos cognoſcere & coram confeſſario nos humiliare poterimus atque rem omnem (vt ſe habet rei veritas) coram eo explicare Deo auxiliãte valebimus. Profuerit etiam ſi vnuſquiſque noſtrum ſeipſum roget quotidie,tu quis es? vt vel ſic tandem ex notitia noſtri humiles eſſe diſcamus. quod fiet,ſi quicquid in nobis eſt magnum, quicquid pulchrum, quicquid præclarum, id Dei munus, non noſtrum bonum eſſe ducamus. Econtrario quicquid humile,quicquid ſordidum,quicquid prauũm, id totum ad nos ſolum referamus. quid enim boni habemus,quod non accepimus? Si autem acceperimus, quid gloriamur,quaſi id à nobis ipſis profectum ſit?

ENAR-

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICAE QVARTAE ADVENTVS, CAPVT SECVNDVM.

ET *interrogauerunt eum: quid ergo?*] Scilicet es tu, ſi non es Chriſtus? Verum huius quæſtionis non exſpectant reſponſum, ſed mox aliam ſubijciunt interrogationem, dicentes: *Helias es tu?*] vnde eorum importunitas omnibus redditur manifeſta.

Sed quare ſacerdotes & leuitæ interrogarunt Ioannem an eſſet Helias, cùm ſcirent Ioãnem Zachariæ eſſe filium, & ex infante creuiſſe in virum: Heliam vero per tot annorum centenaria tranſlatum fuiſſe in paradiſum? Ad hoc arbitror reſpondendum eſſe, quòd plurimi Iudæorũ tunc de alijs corporibus in alia corpora animas mortuorum tranſire opinati ſunt, iuxta Pythagoræ ſententiam. quod tamen tam veræ philoſophiæ quàm ſacræ ſcripturæ repugnat. Cuius nec Ariſtoteles tantũ ſed Porphyrius quoque Platonicus oppoſitum verum eſſe docuit & argumentis oſtendit. Hunc nihilominus errorẽ ſequuti exiſtimauerũt Ioannem, quam in alio corpore, eſſe Heliam. vnde & Ieſum nonnulli Heliam, alij Hieremiam, aut vnum dixerunt eſſe ex Prophetis.

Dices: quare ergo potius rogant Ioannem an ipſe ſit Helias, quàm an ſit Hieremias, an aliquis alius ex prophetis, cùm tamen iuxta illam opinionem non ſolum anima Heliæ, ſed & animæ aliorum prophetarum in alia detrudi corpora poſſint? quia ſicut aduentus Chriſti fuerat Iudæis promiſſus: ita quoque & aduentus Heliæ, nõ autem alterius alicuius prophetæ. vt habemus Malachię vltimo, vbi dicitur: Ecce ego mitto vobis, dicit Dominus, Heliam prophetam, antequã veniat dies Domini magnus & horribilis. vnde & apud Matth. 17. cap. b. Apoſtoli Chriſtum interrogaſſe leguntur. quid ergo ſcribæ dicunt, quod Heliam oporteat primum venire? Cum igitur iam tempus Meſſiæ adeſſe intelligerent, & Heliam venturũ ante Meſſiam cognoſcerent: cogitabant ne forte ipſe eſſet Helias. Atque ob id rogarunt eum potius Helias ne eſſet quàm an aliquis

an aliquis ex prophetis alius existeret.

Rogabis, si fuerit Helias ante aduentum Christi promissus, quî factum sit, vt non venerit. Dico eum non venisse, eo quod non ante aduentum Christi in carnem, sed duntaxat ante aduentum Christi ad iudicium promissus fuerit. vt scriptura ipsa Malach. vltimo manifeste continet, dicens: Ecce ego mitto vobis, dicit dominus, Heliam prophetam antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Dies autem Domini magnus & horribilis dies extremi iudicij est. Venturus igitur ille est, sed non nisi paulo antequam dies extremi iudicij veniat. vnde vel cæco apparet illam Malach. prophetæ scripturam non de die, quo Dominus in carnem, sed quo vẽturus est ad iudicium intelligendam esse. quapropter & manifestum est hanc sacerdotum & leuitarum interrogationẽ ex falso illius scripturæ intellectu ortam esse. hinc sequitur:

Et dixit, non sum. scilicet Helias. Rogabis quomodo ergo Christus dixerit Matth. 11.b. de Ioanne ad turbas: Si vultis recipere, Ioannes ipse est Helias, qui venturus est? Respondeo asseuerasse Christum Ioannem esse Heliã non in persona, nec per essentiam, sed propter magnam similitudinem Ioannis ad Heliam, quam imprimis habuerunt in austeritate vitæ & rigore mẽtis. quemadmodum enim Helias, ita & Ioãnes in heremo victitabat. quemadmodũ Helias quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunauit, ita & Ioãnes omnibus retro seculis inauditam pœnitentiam egit. quemadmodum Helias, ita & Ioãnes zona pellicea cingebatur. sicut enim quarti regum capite primo habemus Heliam virum fuisse pilosum, & accinctis zona pellicea renibus: ita & Matth. 3. reperimus Ioannem vestimento ex pilis camelorum confecto & zona pellicea indutum fuisse. quemadmodum Helias fluuium Iordanem diuisit: ita & Ioannes in fluuio Iordane baptizauit. Insuper & pares in dura reprehẽsione extitere. Helias namq; quia regẽ Achab & Iesabel impietatis arguit, fugere compulsus est. Ioannes vero quia Herodis & Herodiadis illicitas reprehẽdit nuptias, capite truncatur. Denique pares in officio fuerunt. quia sicut iuxta prędictam Malachiæ prophetiam Helias præcessurus est & annũciaturus

turus venturum iudicem: ſic & Ioannes primum Chriſti præceſſit aduentum; ita vt vterque, hic primi, ille ſecundi aduentus nuncius ſit. Iuxta illud angeli Luc. 1. Ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Heliæ, hoc eſt, Ipſe primi aduentus Meſſiæ præcurſor erit: quemadmodum Helias ſecundi aduentus eiuſdem Meſſiæ præcurſor futurus eſt: idque per ſimilem ſpiritusſancti gratiam, & animi fortitudinem tam perſecutiones ſuſtinendo, quàm ardua aggrediendo. Myſticè igitur Ioannes à Seruatore Helias dictus eſt. At illi myſteria non quærebant: ſed tantum an ipſe in perſona Helias eſſet, ſciſcitabãtur. quapropter Ioannes ſe non eſſe Heliã recte reſpondit. nã quod dñs bene fatetur de ſpiritu: hoc Ioannes recte denegat de perſona.

Hic docemur vt quemadmodũ Ioãnes myſticè Helias extitit: ſic quoque vnuſquiſq; noſtrum ſtudeat, vt myſticè Helias ſit: quod fiet, ſi quemadmodum Helias: ita quoq; nos, ſi nõ corpore, ſaltẽ mente in heremo habitemus, à tumultibus huius ſeculi liberi, & ab his mundi illecebris & cupiditatibus abſtracti. Si quemadmodũ Helias ornatum veſtium contẽpſit: ita quoque & nos nõ niſi neceſſarias & ſtatui conuenientes deſideremus. Si quemadmodum Helias peccantes reprehẽdit: ita quoque eis nos in rebus malis non ſolum non applaudamus; verum etiam amaro nos eſſe erga eos animo oſtendamus. Si quemadmodũ Helias aduentum Chriſti ad iudiciũ eſt annũciaturus: ita quoque & nos frequenter eũ & nobis & alijs ob oculos ponamus, vt vel ſic tandẽ à perpetrandis peccatis abhorreamꝰ, iuxta illud Eccle. 7. In omnibus operibus tuis recordare nouiſſima tua & in æternum non peccabis. Sequitur:

Propheta es tu?] videlicet aliquis alius?

& reſpondit, non] Rogabis non immerito, quomodo ergo dicat Dominus Ioannẽ eſſe pluſquã prophetam ſi propheta nõ eſt? nam ſi propheta nõ eſt, nec pluſquã propheta eſſe poterit. quomodo enim quod maius eſt adeptꝰ dici poterit, qui quod minus exiſtit, nondũ aſſecutus eſt? quod autem Chriſtus dixerit Ioannẽ eſſe pluſquam prophetam, manifeſtum eſt Matth. 11. vbi Chriſtus ſic dicit. quid exiſtis in deſertum videre? Prophetam? Etiam dico vobis & pluſquam prophetam. Et Luc. 7. d. Maior inter natos mu-

lierum

lierum propheta Ioanne Baptista nemo est. Et pater eius Zacharias Luc. 1. g. Et tu puer propheta Altissimi vocaberis. Si igitur veraciter propheta extiterit, quomodo se esse prophetam negauit? Dico quod se officio prophetã negauit, qui virtute & gratia propheta erat. quod autẽ officio propheta nõ fuerit, quamuis gratia & virtute propheta esset, liquidò constat ex eo, quod propheta officio ad hoc mittitur, & destinatur, vt futura infallibiliter euentura ad populi instructionem & emendationẽ prænunciet. Ioãnes autem, nõ vt futura prædiceret, sed vt iam incarnatũ dominum mundo ostẽderet & testimonium de illius præsentia perhiberet, missus erat. Hinc dicitur Ioan. 1. hic nimirum Baptista, venit in testimonium vt testimoniũ perhiberet de lumine vt omnes crederent per illum. Et manifestius ipsemet Baptista qua de causa venerit, Ioan. 1. exprimit dicẽs: Vt manifestetur in Israel propterea ego veni in aqua baptizans. quamuis igitur Baptista noster multa prædixerit infallibiliter euentura & ob id re vera propheta fuerit: tamen quia non vt futura prædiceret, sed vt iam incarnatum dominum mundo ostẽderet, missus erat: rectissime & se prophetã negat, & in sequentibus se huius Euãgelij verbis vocem esse clamantis in deserto confitetur.

Vnde perspectum & exploratum est Ioannẽ Baptistam, quamuis donũ prophetiæ haberet: tamen quia futura prædicere ei ex officio non incũbebat, id sibi tribuere & arrogare noluisse: vnde & nos discimus nihil nobis asscribere, multo minus attentare, quod nostri officij & muneris nõ esse cognoscimus. quamuis multi, proh dolor, lõge secus faciant, qui sacram interpretari conãtur scripturam, cùm tamen officij ipsorum sit hanc vel illam artem exercere mechanicam. Verum hoc adhuc tolerandum foret si tantam sacræ interpretandæ operam dedissent scripturæ, tantamque eius cognitionem haberẽt quàm suæ mechanicæ artis quidam antesignani. Sed quod hi eam explicare conantur, qui omnẽ penè tum in discendis, tum in exercendis mechanicis artibus absumpserũt ætatem, & hanc ne à limine quidẽ salutarunt, quis æquo animo ferat? An quæso sutor quicquam vltra crepidam? Verum missa isthæc faciamus, atque ad institutum veniamus. Sequitur:

Dixerunt

Dixerunt ergo ei, quis es, vt responsum demus his, qui miserunt nos?] quasi dicant: propria non venimus authoritate freti, sed à summis missi sumus sacerdotibus. quapropter obiurgandi & reprehendendi ad eos rediremus, si absque veritatis inquisitione, certificatione, stabilique responso reuerteremur, ignorando quis sis tu, & quid dicas de teipso. vnde subdunt:

quid dicis de teipso?] Mira res: Ioannis testimonio de semetipso, fidem adhibere parati sunt: cùm tamē Christo de semetipso testimoniū dicenti nō crediderint sed dixerint: Tu de teipso testimoniū perhibes. testimoniū tuū non est verum. Vnde colligitur maiorem fuisse apud ipsos Ioannis quàm Christi authoritatem. Vt autem Ioannes tantæ authoritatis apud ipsos existeret, Altissimus voluit, vt testimonio Ioannis de Christo facilius crederent. Sed iā quid Ioannes interrogatus, de seipso responderit, videamus.

Ait igitur, *Ego vox.*] hic Ioannes, vt ostenderet se gloriā istius mundi floccipendere & nihili ducere, dum rogaretur quis esset, non protulit natales suos & maiorum stemmata; dicendo quòd esset Ioannes maximi sacerdotis Zachariæ filius; quemadmodum hodie multi faciunt, qui aliud nihil, nisi quòd mundus admiratur, magnifaciunt: quíque istius seculi honorem & gloriam adeo suspiciunt, vt ea quæ spiritus sunt nihili pendant. Verum aliter fecit Ioannes: nam deserit ea quæ mundi sunt, quæque mūdus semper fecit maximi, & mente ascendit in altum proferēs abundantiam gratię Dei, qua omnes excessit homines factus vox verbi.

Vnde Ioannes hic de seipso respondit, quod nec ipsi, quamuis ex officio legem & prophetarum oracula scire tenerentur, interrogare nossent, nec auditum præ altitudine mysterij intelligere possent. nam esse vocem Christi (sicuti Ioannes erat) maius vtique fuit quàm vel Heliam vel prophetam esse. nam per hoc, quod ait: *Ego vox clamantis in deserto,* & se esse contemporalem Christo, & Christum iam esse mundo incarnatū significat. Vox enim è propinquo declarat adesse id, cuius est vox. Vnde dum alicuius auditur vox, ipsum adesse dicimus cuius illa est vox. Ioannes autem Christi extitit vox. & ideo tunc, dum

Ioan-

Ioannes esset eius vox, Christus adfuit corporaliter mundo. vnde Ioannes in sequentibus dicit: medius autem vestrum stetit, &c.

Deinde per hoc significatur, quod quamuis Ioánes esset Christo contẽporalis; tamen sui muneris esset, vt Christum in spiritu & virtute Heliæ prædicando, baptizando, & vias Domini præparando præcederet. nam sicut vox verbum præcedit: sic Ioannes, qui vox erat, Christum verbum æternum patris in spiritu & virtute Heliæ pręparando vias Domini ex ordinatione diuina præcessit. Iuxta illud Zachariæ Luc. 1. Et tu puer propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.

Sed dices, cùm verbum & vox sint idem realiter, vt genus & species: (Verbum nãque est vox significatiua) quomodo vox dicitur præcedere verbum? Dico quod cũ hic de verbo loquimur, non externum illud verbum oris intelligimus (illud enim vocem dicimus) sed verbum hic accipitur internum cordis, quod intra animi silentium mente concipimus, & intra cõscientiæ secreta retinemus. vt si iam animo patrem meum concipiam, notitia hęc seu verbum cordis hoc loco verbum dicitur. Ita etiam cùm Filium Dei verbum nuncupamus Patris, eum ex paterni pectoris cogitatione, memoria nimirum illa fæcunda, & ventre intellectus ab ęterno natum esse apud nosmetipsos cogitare debemus. vnde Christus verbũ est, quod in principio erat apud Deum, per quod cæli firmati sunt, quod caro factum est, & habitauit in nobis. Sicuti ergo verbum mentis est verbum intellectuale: ita & Christus secũdum diuinitatem verbum intellectuale est. Verbum autem intellectuale, antequam ab alijs cognosci & percipi possit, vocem oris pręcedere necesse est. quia igitur Ioannes vox erat verbi æterni Christi; idcirco congruè Christum præcessisse prædicando, baptizando, & vias Domini præparando affirmatur, vt illud æterni patris verbum, quod incognitum erat, vel sic cognosceretur. Vnde nobis etiam illo indicatur, Ioannis officium fuisse, vt Christum manifestaret. nam sicut vox manifestat verbum seu mentis cõceptum: ita & Ioannes verbum æterni patris iam incarnatum mũdo, manifestum facit. vnde ipse de eodem Dei

verbo incarnato, nimirum domino Iesu Christo ait Ioan. 1, Vt manifestetur in Israel, propterea ego veni in aqua baptizans. nam sicut ob id vox oris pręcedit verbum cordis, vt per vocem oris verbum cordis ab alijs audiatur, alijsque innotescat: sic & ob id Ioannes Christum prædicando, baptizando, & vias Domini præparando præcessit, vt per ministerium eius Christus, qui est incarnatum æterni patris verbum, præsens agnoscatur, & omnibus innotescat. quod & per ipsum, quantum ad eum attinebat, abunde factum est. nam Ioannes non solum aliquibus Christum signis manifestauit, verum etiam digito demõstrauit, dicẽs Ioan. 1. d. dum Iesum ad se venientem videret: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mũdi, hic est, de quo ego dixi: post me venit, qui ante me factus est, quia prior me erat. quapropter Ioannes non solum concretiuè prænunciator, vociferatorq́; Christi: verum etiam abstractiuè vox ipsius nominatur. quemadmodum ad hominem vnice adamatum dicimus, amor meus.

Ioannes igitur dum se vocem esse Christi confitetur, sese vltra omnem mundum, parentum & totius familiæ oblitus, exaltat: & in sublimia conscendit factus vox verbi æterni, idque per gratiam Dei, qua ille tam extitit magnus vt maior illo non surrexerit inter natos mulierũ vniuersos. Ex quo manifestum euadit quod esse vocem Christi, sicut Ioannes erat, maioris vtique momenti & ponderis fuerit quàm vel Heliam vel prophetam esse.

Sunt & aliæ rationes nonnullæ propter quas Ioannes vox: Christus autem verbum rectissime vocatur. quia sicut vox deficit, verbum aũt cordis auditum perficit: sic Ioannes dixit, illum oportet crescere, me autem minui, Ioã. 3. Rursus sicut vox inutilis est absque verbo cordis: sic inutilis est prædicatio Ioannis sine Christo, & baptismus Ioannis sine baptismo Christi.

Quia igitur vox rectissime & est & dicitur pectoris nuncius & angelus mentis & interpres intellectus: idcirco & Ioannes, quia nuncius fuit, angelus, atque interpres verbi æterni Christi, merito vox eiusdem nuncupatur, nõ per essentiã, sed per proprietatem. sicut & angelus dictus est, non natura, sed ob vitæ puritatem.

Vnde

Vnde dicit: Ego vox clamantis in deſerto. quaſi dicat: Moyſes vobis illum adumbrauit, Prophetæ olim venturũ vaticinati ſunt: ego autem vobis iam aduenientem oſtendo: nam ego ad hoc natus ſum, vt per me tanquam vocem Chriſtus qui eſt incarnatum ęterni pátris verbum, pręſens agnoſcatur. vnde ſi ego oſtẽdero vobis Chriſtum, æquum eſt vt mihi credatis & verbis meis fidem adhibeatis: nimirum quem tam magnum eſſe ſuſpicati eſtis, vt me Chriſtum eſſe vobis perſuaderetis. Et ob id tãtus & talis à Deo miſſus veni, vt teſtimonium perhibens dignus eſſem audiri. quia alioqui nunquam vobis perſuaſiſſetis, nec credere potuiſſetis hominem tam pauperem, egenum, & abiectum, qualis Ieſus eſt Nazarenus, eſſe Chriſtum.

Cum autem nulla ſui ipſius ſit vox, ſed alterius: addit cuius ſit vox, dum ſubdit:

clamantis in deſerto,] hoc eſt, clamantis in Iudęorum populo. quia namq; deſertum dicitur derelictum, recte deſerti nomine Iudæorum cenſetur populus, qui derelinquens Dominum derelictus eſt ab eo. Vacua enim timore Dei pectora & ſpirituſancto arentia rectiſſime deſerto ſqualentis heremi comparantur. ſicut eis alibi Dominus explicat dicens: Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Vel recte in deſerto clamat, quia peccantibus pœnitentiam prædicat, cuius agendæ locus conueniens eſt deſertum. ſicut domus regum conueniunt his, qui in delitijs & voluptate viuere deſiderant. vnde Dominus pœnitentiam & facturus & docturus quadraginta diebus & quadraginta noctibus in deſerto ieiunauit.

Rogabis, cuius clamantis in deſerto fuerit Ioãnes vox? dico quòd Chriſti. quaſi dicat Ioannes: Non ego ſed alius per me clamat, in deſerto videlicet Chriſtus. nam Chriſtus clamat Matth. 4. dicens: Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum. Clamat etiam vt non diligamus mundum, neque opera eius. Præterea clamat: Si quis ſitit, veniat ad me & bibat. Clamat iterum: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiã vos. Rurſus clamat id, quod hic in Euangelio ſequitur:

Dirigite viam Domini.] Vbi græcus codex ſic habet, *εὐθύνατε τὴν ὁδὸν κυρίου,* id eſt, rectam facite viam Domini: vt

ipſe, qui per viam curuam incedere neſcit, ad vos per viã rectam venire & in vobis habitare dignetur. Iubet enim amoliri malarum impedimẽta cupiditatum. nam quemadmodum flexus & curuitas viæ impedit, quo minus aliquem nobis obuium videre valeamus: ita quoq; hæc obſtacula impedimento nobis ſunt, ne Chriſtum aduentantem cernere & cognoſcere poſſimus. Vt igitur eum videre & videntes cognoſcere queamus: hæc obſtacula ablata eſſe neceſſe eſt. quamuis nec hoc ſufficiat. nam & ea media, quibus amici domini efficimur, vt eum videre & cognoſcere poſſimus, procul dubio adhibere debemus. quapropter alij Euangeliſtę ſeptuaginta interpretes ſecuti dixerunt: ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν κυρίου, id eſt, parate viam Domini. Id quod non ſolum in curuitate prædicta auferenda, verum etiam in quibuſdam medijs, vt Domin⁹ ad nos veniat, adhibendis conſiſtit. qualia ſunt pœnitentia veteris vitæ, obſeruatio mandatorum Dei, fides, ſpes, charitas, pietas, iuſtitia, miſericordia, &c. quamuis ſi quis dicat & iſtud Ioannis, dirigite viam Domini, ita intelligi debere, vt perfecte impletum non ſit, ſi curuitas viæ prædicta ablata ſit, niſi & iſta media adhibita ſint, eum recte dicere ſentiamus.

Ceterum notanter dicit viam Domini, non autem vias veſtras. Viæ enim hominum ſunt; ambitio, hypocriſis, externum opus ſine charitate & dilectione. non ſunt hæ viæ quibus Dominus venit ad nos: ſed legitima obſeruatio mandatorum Dei, fides, ſpes, charitas, &c. hinc Eſa. 55. dicit Dominus: non ſunt viæ meæ, viæ veſtræ. Sequitur:

Sicut dixit Eſaias propheta.] hoc adijcit Baptiſta noſter, ne ſibi videretur hoc ipſum, quod erat, humana temeritate arrogare. quaſi dicat: quamuis ego nec ſim Meſſias, nec vllus prophetarum rediuiuus & in hanc lucem reuocatus: tamen hoc docendi munus propria authoritate non vſurpaui; quum ante multos annos authoritate Dei huic prouinciæ fuerim deſtinatus. Sum enim ille de quo vaticinatus eſt Eſaias cap. 40. a. dicens: Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini. nec abs re illuc eos remittit. nam eo in loco manifeſtis verbis Propheta futurum prædicit, quod antequam Chriſtus præſens agnoſceretur, Vox claman-

clamantis in deserto audiretur. ac si aperte dicat: Ego sum illa vox, quam Esaias interiori auditu percepit vobis annunciantem Christum. Vnde merito conijcere debebant non vulgarem quendam, sed magnum esse eum, de quo tam insignis prælocutus fuerat Propheta. siquidem non ociatur Spiritussanctus, nec iota vnum scribit frustra. Verum hoc legatos istos non expendisse, ex sequentibus manifestum erit.

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICAE QVARTAE ADVENTVS CAPVT TERTIVM.

ET QVI *missi fuerant, erant ex Pharisæis.*] qui tum temporis peritia legis, opinione sanctimoniæ & authoritate ceteros præcellebant. vnde dicit Origenes hoc adiunxisse Euangelistam, vt nunciorum & idoneitatem & solemnitatem ostenderet. quia autem tam insignes & solemnes miserunt viros ad Baptistam nostrum, nobis perspectissimum est quod quàm magnificentissimè de eo senserint, eumque summo in precio habuerint. Vnde colligimus eos, qui tunc erant, qualis erat Ioannes, probæ vitæ, vnicè fuisse à Iudæis adamatos. Iam vero à quibusdam amantur illi, qui nihil omnino sanctitatis præ se ferunt: & ab eisdem contemnuntur, & ridentur, quos vt Deo placeant, laborare videmus. nam si quis hodie vilioribus vestimentis indutus, vt vanitatem mundi contemneret, videretur: si quis à praua societate sua seiunctus vt pœnitētiam ageret & Deo seruiret, deprehēderetur, à quam plurimis rideretur, adeo vt vel hinc apertissimum sit quā plurimos Christianos magis Iudæis esse peruersos.

Est & alia causa ob quam hoc adiecit Euangelista: nimirum vt significet Iudæos nullam habere suæ incredulitatis & obstinationis excusationem. Non enim dubiū est, quin pharisæi omnia, quæ hic dixit Ioannes, ad dominos suos retulerint.

Ceterum quamuis Ioannes respondisset, quod sane lō-

ge maius erat quàm vel Heliam vel prophetam esse:tamē illi surda aure verba eius prætereuntes, quasi nihil dixerit vlterius interrogantes subiungunt. vnde subdit Euangelista:

Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Helias, neque Propheta?] Ex quo eos Ioannis verba non intellexisse certum est.

Deinde hinc pharisæos istos ad Ioannem missos multum sibimetipsis authoritatis arrogasse, religiositate suæ sectæ fretos, colligimus. nam arguunt Ioannē inferendo quod non debet baptizare, ex quo non est Christus, neque Helias, neque Propheta. quod tamen non ex commissione mittentium, sed ex propria authoritate fecisse credendi sunt. Eis enim commissum erat, vt interrogarent eum, tu quis es? non autē vt arguerent eum de baptismo. quod tamen nihilominus fecerunt decernentes non licere ei baptizare. nec solum hoc decernunt; verum etiam ob id Ioannem reprehendere audent. Tantū proprię tribuunt & sciētiæ & authoritati. quasi dicāt: Christus qui est sol⁹ suo baptismo peccata abluere potest. quemadmodum ipse de seipso dicit Ezech. 36. Ego effundam super vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus inquinamētis vestris. Et Esa. 44. Effundam aquam super sitientem. Et Zacha. 13. Erit fons patens domui Iuda in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Cum ergo Christus non sis, non licet tibi baptizare. multo minus si nec Helias, nec Propheta sis. quamobrem his verbis calumniam ei struunt: quasi suo baptismo hominum peccata abluere conaretur. quid inquiunt, baptizas? quid munus alienū vsurpas? quid homines vana spe lactas? quid homines in fraudem allicis? quid homines tuis strophis & technis illudis? Itáne idonei tibi videntur, quos tanto astu fallere incipias dolis, cùm tamen certum sit te tuo baptismo homines à peccatis mundare non posse? nam solius hoc Dei est: tu autem ne propheta quidem es.

Prohibere ergo eum iuxta Originem à baptizando volebant: quia quod soli Christo baptizare competeret, sciebant. Vnde Ioannes, quia iam se Christum esse negauerat, falcem in alienam messem mittere baptizando, Iudæis

appare-

apparebat. Quod ne eis persuasum esset amplius, Ioannes suum baptismum à Baptismo Christi aptissime distinxit. hinc sequitur:

respondit ei Ioãnes,] scilicet mansuetissime & mitissime, non probrosis verbis offensus, non indignatione commotus, non iniuria exacerbatus, nec à quo ei authoritas hæc data sit, explicans: cum hoc iam ex Esaia satis indicasset: sed tantum baptismum suum, ne quis in eo consideret & Christi baptisma contemneret, exponens. hinc sequitur:

dicens: Ego baptizo in aqua.] scilicet tantum, ita vt non in spiritusancto. quasi dicat: Ego baptizo quidem, sed non illo baptismo, qui Christo peculiaris & proprius in scripturis affirmatur, sed longe alio. Siquidem ad Christi baptismum tria pertinẽt, nimirum spiritus, aqua, & sanguis. hinc primæ Ioan. 5. Tres sunt qui testimoniũ dant in terra; spiritus, aqua, & sanguis. Meus autem baptismus duntaxat aquam habet, quæ inter hæc tria minoris ponderis & momenti est. quapropter cùm ego duntaxat, quod minimum est, in baptismo meo præstem: ideo meo baptismo solummodo exterius lauo corpora, non intus animas purgo à culpa. quum sit in aqua tãtum, & corpus solummodo lauet: animam autem per veniam non sanet. Non est igitur, quod mihi propter baptismum meum indignemini, nec quod me munus alienum vsurpare arbitremini. Si autem scire velitis, qua igitur de causa baptizẽ: respondeo, vt præparem viam Christo. quemadmodum vos id docuit Malach. cap. suo 3. a. dicens: Ecce ego mitto angelum meum & præparabit viam ante faciem meam. Et post hunc pater meus Zacharias dicens: Et tu puer propheta Altissimi vocaberis: prçibis enim ante faciem Domini parare vias eius. Ego enim baptismo meo assuefacio populum ad Christi baptisma suscipiendum. Ego baptizo in pœnitentiam, vt vos & mortificemini & ablutione baptismi vos indigere cognoscatis. nam sicut prædicatio mea perfecta non est, sed tantum præparatoria: ita quoq; baptismus meus tãtum indicat futurum quempiam, qui (vt ego baptizo aqua) baptizaturus est spiritusancto.

Vnde vel cæco apparet differentia inter baptismũ Ioãnis & Christi. Ioannis baptisma tantũ aquã habet: & ideo

nec gratiam confert,nec characterem imprimit,sed solùmodo ad Christi baptisma suscipiendum homines pręparat. Nostrum autem baptisma, quod & Christi est, habet aquam; deinde & sanguinem, hoc est, meritum passionis Christi. Denique habet & Spiritũsanctum. & ideo à peccatis mundare potest. Sequitur:

Medius autem vestrum stetit,] quia natus & factus visibilis per carnem,non in deserto quemadmodum ego, sed tanquam vnus è numero populi conuersatur in medio vestrum: atque adeo in synagogis vestris & in ipso templo Hierosolymitano videtur, auditur, imo etiam premitur. Iuxta illud Baruch tertio: Post hæc in terris visus est,& cũ hominibus cõuersatus est. siquidem verbum caro factum est,& habitauit in nobis. vnde annos natus duodecim inuentus est in templo in medio Doctorum. quamuis autẽ inter vos conuersetur,& à vobis videatur,audiatur, & cõtingatur; tamen eum non cognoscitis. hinc sequitur:

quem vos nescitis.] scilicet esse verum filium Dei, verum Messiam,& mundi saluatorem. quia iuxta mundi æstimationem humilis est,pauper,abiectus, inglorius, & obscurus; nulla earum rerum,quibus mundi cultores hominem metiuntur, pompa se venditans. & ideo in persona vsque adeo plebeia inter vos conuersatur, vt facile cognosci nõ queat,nisi illi,cui omnis gloria mundi plane vilescit. Talis autem factus est propter nos, vt ignobilia mundi eligenda nobis ostẽderet,vt sua nos humilitate exaltaret,sua paupertate diuites faceret. hinc sequitur:

Ipse est,qui post me venturus est;] non vtique in carnem,siquidem iam natus erat Christus,sed ad prędicandum,baptizandum, & perficiendum quod ego iam cœpi. quod autem ipse Christus baptizauerit,manifestum est Ioan. 3. c. Vbi sic habetur: Post hæc venit Iesus & discipuli eius in Iudæam terram, & illic morabatur cum eis & baptizabat scilicet eos. Et paulo post ibidem, Facta est autem quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione, & venerunt ad Ioannem & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat,& omnes veniunt ad eum.

Huic tamen sententiæ contrariũ videtur quod dicitur

Ioan.

Ioan.4.a. Audierunt pharisæi quod Iesus plures discipulos facit,& baptizat, quàm Ioannes (quanquam Iesus nō baptizaret,sed discipuli eius) reliquit Iudæam, &c.

Ad hoc respondeo probabiliorem doctorum opinionē secutus,Christum primò suos aqua & spiritusancto baptizasse discipulos; deinde solos discipulos,Christo circa altiora docenda occupato,baptizasse alios,non Ioannis,sed Christi baptismo & aqua & spiritusancto . nam quamuis ante Christi ascensionem in baptismo nō daretur spiritussanctus visibiliter, iuxta illud Ioan.7.f. Nōdum erat spiritus datus,quia Iesus nondum erat glorificatus: tamē dabatur Spiritussancti gratia, sicut & modo inuisibiliter.

Ioannes autem hęc dicens,non solum personam Christi, sed & eius baptismum suo baptismo præfert. hinc dicit Chrysostomus eum loqui ac si diceret: Nolite putare totum in meo consistere baptismate. nam si meum baptisma perfectum esset,alius non veniret post me alterum allaturus. Iam vero quia meum baptisma imperfectum est, post me venturus est,de quo mihi iam sermo est qui aliud baptisma est daturus. Id quod asserit Ioannes, ne quis in eius baptismo erraret, putans sibi hunc absque Christi baptismo sufficere ad salutem. vnde & Matth. 3. Ego quidē baptizo vos in aqua in pœnitentiam : qui autem post me venturus est,fortior me est : ipse vos baptizabit in spiritusancto & igni. Sequitur :

qui ante factus est.] quomodo factus, per quem omnia facta sunt? non Deitate factus existens ante omnia secula Deus. vnde hic non essentiæ, quam patri conformem habet, declarat initium. Illa enim nō est facta, sed nata. Sed loquitur de carnali substantia : ipsa enim facta est. sed tamen nunc non de tempore carnalis substantiæ sermo peragitur, sed de eo,qui est secundum carnem, sermo habetur. nam carne non ante factus, cùm sexto mense post Ioannem fuerit conceptus : sed tamen ante Ioannem factus vt homo, quia ad maiora mysteria ordinatus. vt hic sit sensus : qui secundum carnem secundum quam factus est,honorabilior, celebrior, & clarior me est : Insuper & mihi dignitate, gloria, & honore prælatus est : & me authoritate anteuertit, & maior effectus est : sanctioris quo-

que vitæ, perfectioris meriti, & copiosioris gratiæ. Nam (ante) hoc in loco non temporis, sed ordinis habet significationem.

Ne quis autem ex hac comparatione sui ad filium Dei, dum dicit eum sibi prælatum, similitudinē aliquam quātumuis exiguam intelligeret, cum Ioannes nullam vellet intelligi: idcircò subiungit:

cuius non sum dignus vt soluam eius corrigiam calceamenti.] quasi dicat: vsque adeo me excellit, vt me prorsus, qui ei vel vilissimum præstem obsequium, indignum profitear: tantum abest, vt illi aliqua ex parte comparādus sim. quo tacitè innuit Ioánnes Iesu Christi diuinitatē. nam si Christus tantum homo fuisset, certe Ioannes qui eius corrigiá calceamenti solueret, dignus extitisset. homo namque vt homini seruiat, dignus est, cùm ad mutua ministeria conditi simus. Sed quia Ioannes Christi diuinitatem indicare voluit, ideo hoc quàm rectissime adiunxit. quia homo quantumuis magnus, si Deo comparetur, nihil est nisi puluis & cinis.

Matthæus & Lucas addunt Ioánem dixisse de Christo:

Ipse vós baptizabit in spiritusancto & igni.] quasi dicat Ioannes: qúale vobis iam inter Dominum & seruum discrimen ostendi: talis est & baptismatum differentia. nam quanto Dominus seruo maior est: tanto & baptismus Domini, máior est baptismate serui. quantoque creator creatura præstat: tanto officium creantis, officium creaturæ superat. famulus baptizat aqúa, Dominus autem baptizabit spiritusancto & igni. Sequitur:

hæc in Bethabara facta sunt trans Iordanem,] quidam codices hic habent Bethania; quum tamen legendum sit Bethabara. nam Bethania non trans Iordanem aut in deserto, sed ad latus mōtis Oliuarum distans ab Hierosolymis stadijs quindecim sita est. vnde Origines, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius & alij nonnulli vitio scriptorum hic positum esse nomen hoc Bethania, cum scribi debuerit Bethabara, euidenter affirmant.

Hæc igitur in Bethabara facta sunt trās Iordanem, hoc est, hæc verba Ioannis sunt habita in Bethabara trans Iordanem sita. Ibi enim Ioannes arcanum hoc testimonium

& inenar-

& inenarrabili doctrina plenum de Iesu Nazareno professus est, non in angiportu, non in secreto aliquo, quo se abdiderat, angulo: sed publicè & in loco celeberrimo apud Iordanẽ, atque adeo in media omniũ (qui ab ipso in Iordane baptizabantur) multitudine. hinc sequitur:

vbi erat Ioannes baptizans.] vnde manifestum est Ioannem non solum hoc in loco istud testimonium de Christo protulisse; verum etiam baptizasse, adeo baptisten nostrum sui baptismatis non puduit, nec de officio suo præcursorem agens erubuit. Dicant igitur quicquid velint pharisæi: Ioannes propter eos, quod cœpit non derelinquet.

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICÆ PRIMÆ, AVT, SI MAVIS, SECVNDÆ POST CHRISTI NATALEM,

CAPVT PRIMVM.

Euangelium Lucæ secundo c.

IN ILLO *tempore: Erant pater eius & mater eius mirantes super his, quæ dicebantur de illo.*] Euangelij huius historiam non die contigisse hodierno, sed eo quo purificata est Maria, Christo iam existente dierum quadraginta, quia manifestũ est: ideo declaratione non indiget.

Ioseph autem pater Christi hic intelligitur; sed non eo, quo à Photino hæretico habebatur, modo. nam is putabat Iosephum verum Christi fuisse parentem, quod & falsum est, & impium. quapropter nec hoc voluit Euangelista quando Iosephum patrem appellauit Christi. siquidem Euangelista ille noster immemor nõ erat eius, quod capite sui Euãgelij primo iã iam scripserat, quomodo per Gabrielem Mariæ & denunciasset & promisisset Deus, quoniam non ex virtute viri, sed spiritussancti esset paritura.

De quo

De quo an & factũ ſit dubitare, hominis eſſet impij; cùm nihil promittat Deus, quin illud veraciter impleat. quam ob rem cùm Ioſeph, qui ſe alienum à cõpreſſione & complexu virginis nouerat, de huius ventre non parum admiraretur, ad eum à Deo Gabriel mittitur angelus, vt ei diceret: Ioſeph fili Dauid, ne timeas accipere Mariã coniugem tuam: quod enim in ea natũ eſt, de ſpiritu ſancto eſt. Arcana hæc profecto & angelicis quoq; mentibus ſtupẽda diuinæ naturæ cum humano corpore animaq; coniunctio eſt. vnde manifeſtè cõuincitur Ioſephum verũ Chriſti parentem non fuiſſe. Si autẽ roges, qui igitur fieri poſſit vt hic ab Euangeliſta pater Chriſti dicatur: Reſpõdebit tibi Beda, patrem Saluatoris appellatũ ipſum Ioſephum, non quòd verè eius pater fuerit: ſed quòd ad famam Mariæ conſeruandam ab omnibus pater æſtimatus ſit, quodque iuxta opinionem vulgi Ioſephus eius pater habitus ſit. hinc Euangeliſta hic noſter ſequenti capite dicit: Ieſus erat incipiens annorum quaſi triginta vt putabatur filius Ioſeph. vnde Ioſephus non verus, ſed putatiuus dũtaxat Chriſti extitit pater.

Quamuis autem tunc fere omnes eius opinionis fuerint, vt Ioſephum patrem Ieſu putauerint: tamen fuerunt aliquot, qui ſpiritusſancti gratia illuminati ſciebãt certiſſime Ieſum Ioſephi filium non eſſe. vtpote Maria & Ioſephus, Zacharias & Elizabetha eius vxor, Simeon & Anna, & pauci fortaſſis alij, quibus ſpiritusſanctus myſteriũ incarnationis eius reuelauerat.

Poteſt autem & Ioſephus eius pater dici ipſa copulatione ſacramenti coniugij, quod inter Ioſephum & Mariam verum interceſſit. nam vt ab eo Maria manſit intacta, & nihilominus eius vxor & dicta eſt, & re vera extitit: ſic quoque ille pater Ieſu hic dictus eſt non quidẽ natura, nec commiſtione carnis, ſed ratione ſacramẽti connubij, idque multo coniunctius quàm ſi fuiſſet aliunde adoptatus. vnde ſiquis commode ſuum nominat filium, quem tamen non genuit, nec ex ſua coniuge procreatum habet, ſed duntaxat aliunde adoptauit: multo commodius Ioſeph pater eius dici potuit, quem ex ſua vxore virgine nouerat natum. Denique & pater Chriſti dictus eſt, quia

eum

eum enutriuit. nam & nutritios & baiulos & curam habentes patres consueuimus appellare, non quòd carnaliter nobis patres sint, sed quod nutriendo paternum in nos ostendant affectum. Sequitur:

& mater eius.] Maria vera extitit Christi mater. nam mater dicitur, quasi materiam administrans. Mariam autem ex suo purissimo sanguine virtute spiritussancti corporis Christi materiam administrasse non solum ex his, quæ iam iam dicta sunt, sed & ex Paulo ad Galat. 4. certissimum est. nam ibi sic habemus. Ast vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere. Sequitur:

erant mirantes.] non quidem admiratione dubitationis, sed reuerentiæ, & profundæ contemplationis. quoniam ea quę de ipso dicebantur, ad plenum comprehendere nō valebant. quemadmodum & viri contemplatiui, imo & homines vniuersi beatissimam mirantur Trinitatem, non quòd de ea dubitent, sed quia eam suo intellectu assequi non possint. quapropter hæc admiratio non ex dubitatione, sed ex rerū de Christo dictarum profunda contemplatione prouenit. hinc sequitur:

super his] magnalibus scilicet, & magnificis laudibus, *quæ dicebātur de illo.*] quamuis enim Ioseph & Maria mater eius scirent eum esse Messiam; tamen mirabantur de his, quæ dicebantur de illo: tum quia magna & mirabilia erant: tum quia hæc a sene atq; ab Anna diuini spiritus afflatu dici videbant: tum etiam quòd se tacentibus Christum adhuc infantem tot hominum genera loquebantur, & cognoscebant: quodque Christus adhuc infans non modò pastoribus & regibus, verum etiam sacerdoti Simeoni & Annæ prophetissæ notus erat. Vocabatur enim à Simeone salutare omnium populorum, lumen gentium & gloria Iudæorum, vnigenitus Dei filius, verusque Deus: deinde positus in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel & in signum cui contradiceretur. Anna quoque loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel, indicans eum esse, nec expectandum esse alium per quem redimendus populus esset Israëliticus.

Nec

Nec solũ hæc, quæ de illo à Simeone & ab Anna dicebantur, erant admiratione digna, verum etiã illa, quæ dicta sunt de illo ab Angelo ad Mariam in annunciatione incarnationis Christi. Ab Elizabetha dum Maria eam visitaret. A Zacharia dum Ioannes nasceretur. Ab angelo ad Ioseph, quando Ioseph Mariã occultè dimittere volebat. Ab angelo ad pastores, quando ad eos dixit: Ecce euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. Ab angelico exercitu, quando angeli canticum illud consolationibus plenissimum Gloria in excelsis Deo, Deo decantabant. A pastoribus ad multos homines; hinc Lucas, & omnes, inquit, qui audierant mirati sunt etiam de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. vnde verisimile est, quod etiam ad Mariam & Iosephum omnia quæ audierant & viderant, retulerunt pastores. Denique à tribus magis & sapientibus qui omnẽ rem vt acciderat, Mariæ & Iosepho ordine narrauerunt. quomodo nimirum eius stella eis in oriente apparuerit, atque circa Hierusalem disparuerit, rursumq; extra Hierusalem apparuerit, præcesseritque eos, donec progressa staret supra locum, in quo erat puer. Verisimile enim non est eos qui à tam remotis terræ partibus vt adorarent, accesserant, subito recessisse: sed aliquandiu cum Maria & Iosepho collocutos fuisse: atque aliquanto melius de nato Christo instructos abijsse.

Denique magna tenebantur admiratione & ob ea quæ facta fuerant & viderant prius. nimirum quod Zacharias ante mutus loqui cepit & benedicere domino: quod eundem laudabant pastores: quod à Simeone acceptum & benedictum viderant. quod lucebat stella: quod currebãt magi, qui non solum eum adorabant, sed etiam mystica munera offerebant.

Eodem modo & nobis stupore quodam velut attonitis perquam mira videri merito deberent tempore præcipue hoc sanctissimo, quæ nobis de Dei filio dicta sunt. nimirum quomodo ille rex cæli & terræ, angelorum, omniũque creaturarum homo factus sit. quo modo natiuitatis huius nuncium pastoribus apportarit angelus. quãto exilientes

lientes gaudio decantarint angeli: Gloria in excelſis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. qui enim hęc & his ſimilia propius cõtemplari voluerit, quomodo occultiſſimorum illorum diuinæ maieſtatis conſiliorũ grauiſſima admiratione non tenebitur? ſiquidem deum hominem eſſe factum, natumque vt alium infantulum tam eſt mirabile, vt illud Iudæi, Turcæ, Sarraceni, Ethnicique omnes credere nondum velint. Eo quod ſuo intellectu, qui id fieri potuerit, vt diuinitas (qua nihil maius & præſtãtius inueniri poteſt) humanitati de limo terræ formatæ coniuncta ſit, nondum aſſequi poſſint. quod quamuis nec nos comprehendere valeamus; tamen qui id fieri potuerit, ad viuum reſecare (quemadmodum illi) nõ adnitemur: ne & nos à diuina maieſtate, ſi eam perſcrutari velimus, opprimamur: ſed ſemper illud firma fide tenebimus & credemus. Credentes autem cum Maria & Ioſepho illud factum ob amorem erga nos ex reuerentia admirabimur. nam quãuis de rebus fidei nulla ratione dubitare liceat, tamẽ ob ea in admirationem rapi nobis cum Maria & Ioſepho licitum eſt.

Cui enim hoc mirum non videatur, Altiſſimum ſeſe ad faſcias, cunas, vagitus, & imbecillem corporis infantiam, idque noſtri gratia, demiſiſſe? Dei filium eumque verum Deum hominem eſſe factum, vt nos dij efficeremur? noſtram humanam carnem aſſumpſiſſe, vt nos in ſuæ diuinitatis conſortium aſciſceremur? noſtrum hunc limũ induiſſe, vt nos immortalitatis gloria veſtiremur? E regno patris in hoc noſtrũ exilium ſemetipſum deieciſſe, vt nos paradiſo expulſi, cæli ciues redderemur? Puerum paruulum naſci voluiſſe, cùm eſſet immenſus, vt nos magni efficeremur? Pannis inuolutum fuiſſe, vt nos à mortis laqueis abſolueremur. Pauperem effectum eſſe, vt nos eius inopia diuites eſſemus? mortalem factum eſſe, vt nos ad immortalitatem eueheremur? Seruum eſſe voluiſſe eum, qui rex regum erat, vt nos omnes in reges euaderemus? Noſtra tectum forma nobiſcum in hoc calamitoſo ſeculo complures annos agere voluiſſe, vt nos ab omnibus exempti malis in ſummi boni communionẽ aſſereremur? Et, vt paucis omnia comprehendam atque vno expediam

verbo

verbo, se totum nobis impendisse, vt vel sui iactura nos perditi seruaremur? Quis, inquam, hæc pressius attendẽs satis ea admirari poterit? quis hæc à fronte pariter & à tergo euoluens & ad amussim perpendẽs in maximam & summam admirationem nõ rapietur? siquidem nihil opinor accidisse vnquam admirabilius quàm quod ille talis & tãtus, tam abiectus & pauper esse voluerit, vt nostri gratia qui vilissimi sumus & de limo terræ formati, homo esse non dedignaretur. Quis igitur misericordiæ eius erga nos immẽsitatem obliuioni vnquam tradere poterit? quis nostrum cum sanctissimo viro Iob, merito non exclamabit, quid est homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? quis audita hac tam immẽsa Dei erga nos misericordia, rebellem & contrariũ se Deo verbis vel factis exhibebit? O duritiam humani cordis plusquam adamantinã, si tam inaudita charitate non mitescit! O ingratitudinem plusquam beluinam, si tantorum beneficiorum potest obliuisci! O singularem impudentiam dicam an potius dementiam, si quicquam homo amare potest amplius illo vno qui omnia secũ nobis impertit! Iam huius satis, sequentia videamus.

Et benedixit illis Simeon,] nimirum parentibus Christi, Mariæ & Iosepho. vnde manifestum est quod hic nõ agitur de benedictione, qua sacerdotes veteris legis benedicebant puerperis. nam hæc benedictio de qua hic agitur, tam ad Iosephum quàm Mariã spectabat. habemus enim quod benedixerit illis pluraliter, non singulariter illi.

Sed dicet quis, quomodo fieri potest, vt Simeon Mariæ & Iosepho benedixerit, cùm dicat Apostolus ad Hebr. 7. b. Absque vlla contradictione, quod minus est, à maiore benedicitur? Si enim quod minus est, à maiore benedicẽdum est: ergo Simeon debuit à Maria & Iosepho tanquã sanctioribus, dignioribus, & vitæ sanctimonia maioribus se apud Deum benedici; tantum abest, vt ipse eis benedixerit. Ad hoc respondeo, triplicem reperiri in sacris literis benedictionem. Vnam consecrationis seu donationis gratiæ: Alteram laudis & gratiarum actionis: Tertiã imprecationis & optationis boni & salutis. quibus præmissis dico hic mentionem fieri benedictionis, qua volumus & optamus

optamus alicui bonum, bene precamur & benedictionem alicui à Deo petimus. hac autẽ benedictione sæpe & minor benedicit maiori. hac & Simeon benedixit Mariæ & Iosepho, quãuis vitæ sanctimonia & merito dignioribus se apud Deũ. Et fortassis hac benedictione etiã benedixit Christo, quemadmodũ & Hebræorũ pueri postea adulto benedixerũt Christo, atq; bene precati sunt Osanna canẽtes. hinc discamus & nos proximis nostris bene precari.

Deinde etiam Simeon benedixit non solum Mariæ & Iosepho, verum etiam Christo benedictione laudis, dicendo eos beatos & benedictos. nam eorum gratiam & dignitatem ipse Simeõ plurimum mirabatur. quod autem & Simeon hac benedictione laudis, & gratiarum actionis benedixerit Christo, ex huius Euangelij verbis certissimũ est. nam hic in præcedentibus Christum vocat salutare omnium populorum, Lumen gentium, & gloriam plebis suæ Israel. hac quoque benedictione nos omnes Deo benedicere debemus. hinc Psal. 33. Benedicam Domino in omni tempore, semper laus eius in ore meo.

Verum apostolus Paulus dum dicit ad Hebr. 7. b. Illud, quod minus est, à maiore benedici, loquitur duntaxat de benedictione donationis gratiæ, qua non nisi maior benedicit minori. nimirum Deus creaturæ principaliter, sacerdos autem populo ministerialiter. Si quis autem dicat & Simeonem fuisse sacerdotem (quemadmodum maxima asserit doctorum pars) & hac quoque benedictione Mariæ & Iosepho benedixisse: tunc dicendũ erit, ꝙ quãuis & Maria & Ioseph Simeone digniores, sanctiores, & merito vitæ & sanctitate maiores apud Deũ fuerint: Ipse tamen maior eis ratione sacerdotalis officij extiterit, cui hoc quoque proprium incumbebat benedicere populo: quemadmodũ Numeri sexto mandatur Moysi à Deo, hoc pacto: Loquere Aaron & filijs eius: sic benedicetis filijs Israel & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi & misereatur tui. Cõuertat Dominus vultum suum ad te & det tibi pacem. Inuocabuntque nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis. quapropter Simeon quum esset sacerdos volens exequi, quod sibi ex officio, sicut & alijs sacerdo-

tibus iniunctum à Deo erat, benedixit Mariæ & Ioſepho, quamuis maioris meriti ſe eſſent apud Deum. Maria autẽ & Ioſeph tametſi Simeonem ſanctitate vincerent, tamẽ vt erant humillimi, ſumma cum humilitate benedictionem Simeonis ſuſceperunt. Vnde diſcimus & nos Christi ſacerdotes in precio habere, eorum miniſteria venerari debere, etiamſi probatioris vitæ & maioris meriti nos eſſe apud Deum contigerit.

Et dixit ad Mariam matrem eius.] Simeon ſuam prophetiã non ad Ioſephum, quem tantum putatiuum Chriſti patrẽ ex instinctu ſpiritusſancti ſciebat: ſed duntaxat ad illam Deiparam virginem, quam veram Chriſti genitricem cognoſcebat dirigit. quia quæ hic de Chriſti paſſione prædicuntur, non ad Ioſephum, quem præcognouit Simeon ante Chriſti paſſionem moriturum, ſpectabant: ſed ſolummodo ad Mariam Chriſti matrem, quæ futura erat ſocia paſſionis Chriſti, attinebant. Dixit itaque Simeon ad Mariam matrem eius:

Ecce poſitus eſt hic in ruinam] hoc intelligendum venit de ruina ſpirituali hic in cæcitatem & peccata, & tandem in perditionem & interitum æternum. quapropter hæc verba prima fronte videntur innuere, quaſi Dominus Ieſus ideo in hunc mũdum à Deo patre miſſus ſit, vt multi propter ipſum perirent. Veruntamen hanc non eſſe horũ verborum ſententiam vniuerſa teſtatur ſcriptura. hinc Ioã. 3. Non miſit Deus filium ſuum in hunc mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. & Luc. 19. Venit enim filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat. Et Paulus prioris ad Timoth. 2. a. Hoc bonum eſt & acceptum corã ſaluatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri & ad agnitionem veritatis venire. Lapis enim hic electus, de quo multa Dauid & Eſaias, non erat à Deo poſitus, vt Iſrael in eum impingeret & caderet, ſed vt cum cecidiſſet, huius auxilio ſeſe rurſus erigeret: vt eis viam qua ad æternam ſalutem peruenitur, oſtenderet: vt templi ſancti contra portas inferorũ valituri fundamentum eſſet: vt omnibus (quemadmodũ Zacharias pater Baptiſtæ cecinit) velut cornu ſalutis erectum eſſet. Atque ob id non dicit Euangeliſta, quod Ieſus hic fa-

hic facturus est ruinam: sed quod in ruinam positus est. vt intelligamus Iesum, qui vt nullius mali author est, ita peccare nequit, hanc non efficere ruinam, sed solummodo ruinæ occasionem existere: homines autem sua deprauatos malitia, eligentes magis per Christum dãnari quàm seruari, hoc Dei salutare sibimetipsis exitiosum scopulum facere. vnde non Christus sed propria hominum malitia ipsis est ruinę causa. hinc dominus Ioan. 3. c. dicit: Lux venit in mundum: qui fit igitur vt non sint illuminati omnes? vt non resipuerint omnes? An hic lux, quo minus omnes illuminati sint, culpanda est? nequaquam. siquidem vt omnem hominem in hunc mundum venientem illuminaret, venit. quorum igitur id accidit vitio? hominum. vnde sequitur: sed dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Erant enim (inquit Christus) opera eorum mala. Christus igitur non causa, sed duntaxat occasio ruinæ multorum extitit, qui sua malitia in doctrina, verbis, & operibus Christi scandalizati sunt. Occasio (inquã) non data per Christum, sed malitiose recepta, eo quòd esset contrarius (vt æquum erat) malis eorũ operibus. quapropter qui pereunt, non Christi sed sua propria culpa pereunt, dum Christo redemptori & seruatori sibi dato auscultare nolunt: eumque propter infidelitatem suam non solum non recipiunt, verum etiam illi & mandatis eius resistunt, eumque contumaciter reijciunt. Ex quibus omnibus manifestum est præpositionem (in) dum hic dicitur Christus positus in ruinam significare causam, sed dũtaxat consequutionem. Sequitur:

& in resurrectionem multorum in Israel.] Hoc intelligendum est, de resurrectione non ea, quam futuram credimus carnis residuæ, sed ea quæ opponitur vocabulo ruinæ, nimirum qua homo per baptismum, pœnitentiam, & gratiam Dei à peccatis resurgit ad virtutes & vitam bonam, & post hanc vitam bene actam ad salutem æternam.

Christus igitur hic dicitur positus in resurrectionem à peccatis ad vitam bonam. quia per suam incarnationem, vitam, prædicationem, & passionem multis Iudæis extitit causa illuminationis & salutis. Et ob id hic recte vocatur à Simeone salutare ante faciem omnium populo-

rum præparatum, Lumen ad reuelationem gentium, & gloria plebis suæ Israel.

Simeon itaque hic duo hominum genera demonstrauit & contradicentium gratiæ Christi & percipientiū gratiam Christi, hoc est, infidelium & fidelium. nam ruina est perfidorum: Iustorum autem & fideliū resurrectio. His est signum sanctificationis, Illis autem contradictionis.

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICAE PRIMAE POST CHRISTI NATALEM, CAPVT SECVNDVM.

ET IN *signum cui contradicetur.*] Signum aliquando sumitur pro iudicio alicuius rei manifestatiuo. & iuxta hāc signi acceptionem, quidam subintelligunt, Euangelicæ legis. Alij vero, fœderis inter deū & homines initi. Si subintelligatur Euangelicæ legis, tunc hic est sensus: Christus positus est in signum Euangelicæ legis, hoc est, positus est & constitutus à Deo patre ad significandam & annunciandam nobis legem euangelicam, & euangelicæ legis doctrinam, omnesque fidei articulos. Sequitur.

Cui contradicetur] hoc est, cui Christo significanti & annuncianti nobis euangelicæ legis doctrinā, contradicetur in his, quæ spectant ad legē euangelicā, & fidei articulos. quod factum est quando à Iudæis non credebatur Deus & homo. quando sacramentarij dixerunt in sacramento Altaris non esse corpus Christi. quando Hæretici dixerunt fidem informem sufficere ad salutem. quando dixerunt præceptis tum Ecclesiæ, tum prælatorum obediendū non esse: cum tamen asseruerit Christus eos qui in cathedra sedent Moysi audiendos esse, eisque obtemperandum.

Quid quæso aliud ex huiusmodi contradictionibus, quàm quod multum mali reipublicę accrescit, multumq; detrimenti inuehitur? hinc enim piæ ordinationes dissuuntur & sanctæ leges scinduntur. vnde Abac. 1. factum est iudicium & contradictio potentior: propter hoc lacerata est lex.

Si vero subintelligatur fœderis initi inter deum & homines;

mines; tunc hic est sensus. Et in signum fœderis seu recõciliationis & pacis inter deum & homines per ipsum cõpositæ, hoc est, constitutus est à Deo patre vt nobis significaret & annunciaret homines in gratiam Dei patris redijsse atque redactos esse. quod eum fecisse certum est, quando dixit in cruce, Cõsummatum est. Nam tunc tauri eius & altilia eius occisa erant, atque omnia parata. Et tempus tunc erat & nobis iam est eundi ad nuptias. huius autem reconciliationis Christus est signum, nõ significatiue duntaxat, sed causaliter quoque. vnde apostolus ad Ephe. 2. d. Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Et ad Coloss. 1. e. Pacificans per sanguinem suum, siue quę in cælo, siue quæ in terra sunt. Sequitur:

cui contradicetur] hoc est, cui Christo significanti & annuncianti nos in gratiam Dei patris reductos esse, contradicetur. quod veraciter factum est, quando Iudæi Iesum Dei esse filium negauerunt, atque ob id nec per eius incarnationem, natiuitatem, passionem, resurrectionem, & ascensionem adimpletas prophetarum esse scripturas, nec immensam Dei gratiam erga mundum iam esse exhibitã asserere ausi sunt, nec nos per eius preciosissimum sanguinem reconciliatos esse & gratiam patris inijsse, sed adhuc expectandum esse eum, per quem hæc omnia adimpleri deberent, affirmare sacrilego ore reueriti non sunt.

Quamuis autẽ peruersissimi & infelicissimi Iudæi semper pertinaciter reluctati sint Christo: illud tamen & triumphabit signum & permanebit in æternum. Sicut prædixit Esaias propheta cap. 55. dicens: Erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur. quod igitur Christus in signum erectus est, honoris fuit: quod vero ei contradictum est, contumeliæ fuit.

Secundo sumitur signum pro miraculo, prodigio, & ostento. hinc Ioan. 4. nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Iuxta hanc signi acceptionem, nihil plane subintelligendum est, atque hic est sensus: Iesus positus est nobis & constitutus à Deo patre tanquam grande miraculũ, vtpote neque homo tantum, neque Deus tãtum, sed Deus simul & homo. quod Gręce vnico dicitur vocabulo θεάνθρωπος. Ipse igitur Christus de virgine natus in vna perso-

na Deus & homo hic signum appellatur, quia summum miraculum & prodigiorum omnium extitit supremum.

Cui contradicetur] huic signo & prodigio, quasi rei quæ supra naturam est, contradixerunt Arrius, Fotinus, & Eunomius omnia secundum naturam inquirentes, nec quicquam supernaturale intelligentes, & ob id Iesum non esse verum Deum affirmantes. huic signo & contradixit Manichæus asserens Iesum non esse verum hominem.

Tertiò, accipitur signum pro vexillo. hinc antesignanus signorum propugnator, qui ante signum in acie constituitur. Iuxta hanc signi acceptionem per signum intelligitur crux Christi. Et hic est sensus: Christus erectus est in crucem. In huius figuram iam olim dixerat Dominus ad Moysen, Num. 21. b. Fac serpentem ęneum & pone eũ pro signo, hoc est, pone eum in vexillo, vel in pertica, seu baculo oblongo, vel potius super vexillum & perticam, vt à longe atque à pluribus videri possit, & visus omnes à morsibus serpentum sanet vidẽtes. Eodem modo & Christus Dei filius positus est & exaltatus super vexillum crucis, vt ab animarum nostrarum languoribus nos sanaret omnes. vnde Ioan. 3. dicit Dominus: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat vitam æternam. Sequitur:

cui contradicetur] hoc est, cui cruci à multis contradicetur, vtpote rei probrosæ. nam crux Christi est Iudæis scãdalum: gentibus autem stultitia.

Quartò, potest & hoc intelligi de signo ad sagittã, hoc est, de signo quod idcirco ponitur, vt sagittarum emissione feriatur. quemadmodum Threnorũ 3. b. dicitur Israeliticus populus positus quasi signum ad sagittam, hoc est, quasi signum, ad quod Sagittatores sua dirigunt iacula. quod si sic intelligere velimus, tunc Iesus hic dicitur positus in signum cui contradicetur. quia positus est in signũ, ad quod tanquam ad scopum Iudæorum dirigentur contradictiones, & vniuersa Iudæorum verba, hoc est, positus est in fabulam omnibus Iudæis. Iam enim aduersus eum murmurant: iam falsa excogitant consilia: iam inconuenientia atque vanissima inueniunt testimonia: iam maledictis

ledictis linguis illum impetunt atque aggrediuntur: iam velut Sagittarij contra vnum hunc ſcopum tela ſua mittẽtes ſuis vocibus mortem eius expetunt : iam amarulenta & veneno illita Chriſto in crucem ſuffixo incutiunt tela, omnique calumnia proſcindunt: quemadmodum totus vbique declarat Euangelij contextus: adeo vt ille non temere in perſona Dauidis conqueſtus ſit, dicens: Filij hominum dentes eorum arma & ſagittæ; & lingua eorũ gladius acutus. & iterum, exacuerũt vt gladium linguas ſuas. Rurſus, gladius in labijs eorum. & alibi, In me pſallebant qui bibebant vinum. In his autem omnibus, quo nos ſimiliter in noſtris tribulationibus facere doceret, ſemetipſum animat dicens: Eripies me de cõtradictionibus populi, conſtitues me in caput gentium.

Ceterum nos maledictorum execrantes facta Iudæorum, ad illud nobile ſignum iaculabimur, non contradictiones aliquas, quemadmodum fecere Iudæi, ſed cordis noſtri deſideria vniuerſa. quod vt recte facere poſſimus, animaduertamus oportet, qua arte Sagittatores vt recte iaculentur, vtantur. Hi igitur vt recte iaculentur, vnum oculorum claudunt: acumen viſus vnico ſigno intendũt: quæ retro ſunt, ſimiliter & quæ à dextris & à ſiniſtris negligunt: ad vnicum vero ſignum eleuatum aſpiciũt, quæ omnia & nos facere debemus ſi Chriſtum mentis deſiderijs contingere velimus. nam oculum, quo ea, quę in mũdo ſunt videmus, claudere debemus: ea quæ retro ſunt, oportet obliuiſci: proſpera & aduerſa (quæ per dexterã & ſiniſtrã intelliguntur) ne animus illecebris inclinetur, vel aduerſis frangatur, nihili facere oportet. Et in vnicũ propoſitum ſcopum, nempe in authorem fidei & cõſummatorem Ieſum aſpicere neceſſum eſt, ſummum adhibendo ſtudium, vt per eius gratiam eum imitari & eius veſtigia ſequi poſſimus. quod quando facimus, ad Chriſtum tanquam ad ſcopum noſtræ vitę currimus. hinc apoſtolus ad Hebr. 12. a. Curramus (inquit) ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in authorẽ fidei, qui propoſito ſibi gaudio, crucem ſuſtinuit confuſione contempta.

Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, quod Chriſtus nobis fidelibus & credentibus conſtitutus eſt à Deo patre

tanquam exemplar & ſpeculum virtutum omnium: cui conformes vt fiamus, omnibus modis laborare debemus. Exempli gratia, poſitus eſt tanquam exemplar caſtitatis dum conciperetur. hinc Eſaiæ 7. Ecce virgo concipiet & pariet filium. poſitus eſt tanquam exemplar humilitatis, dum naſceretur. hinc Paulus ad Philip.2. Exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens. Poſitus eſt tanquã exemplar patientiæ dũ pateretur. hinc Luc.23.e. Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt. Denique poſitus eſt nobis tanquam exemplar, ad cuius claritatem atque imaginem intus & foris nos componere in moribus, ornare gratia, induere virtutibus, ditare meritis debemus, vt altiſſimus noſtrum cõcupiſcat decorem. vnde Chriſtus Ioã. 19. Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.

Sed heu quam difficilis inuentu hodie eſt, qui Chriſti Euangelium eiusq́ue vitam audiens intra ſe compunctus gemit, quod in hoc vel illo deformis Chriſto ſit: quod à Chriſti vita tantum adhuc diſſideat: quàm rarus hodie eſt, qui Chriſti virtutes ex lectione euangelica conſiderans, ex toto corde optat, & ex animo petit, vt ei cõformis fiat, dicendo: vtinam pijſſime Ieſu vt vitam tuam in me exprimam, in hoc te imitari poſthac laborem. O ſi me aliquando vincam, vt quomodo tu ambulaſti, ita & ego ambulem. Vtinam omnem meam ſollicitudinem & curã eo dirigam, vt quæ in vita tua didici, imitari ex toto corde deſiderem. quemadmodum uideo mundi amatores omnem mouere lapidem nullis parcere laborib⁹ modo opes & diuitias: nullis parcere ſumptibus, modo gloriam, luxum, & id genus alia terrena ſibi comparare poſſint. Vtinam quemadmodum illis nil difficile, modo obtineant quod concupiſcunt; ita quoque & mihi nihil quantumuis arduum difficile videatur, modo te imitari ſummis adnitar viribus.

Quamuis autem huiuſmodi homines rari ſint, vt prædictum eſt, tamen hic omnes tales eſſe debent, qui poſt hanc vitam poſſeſſuri ſunt æternam. nam qui hic Chriſtũ imitari, & præcepta eius adimplere negligunt, huic ſigno cum Iudæis contradicunt. Et ſi tales hic permanſerint, nequaquam

quaquam post hanc vitam adipiscentur æternam: sed dubio procul mortem, quod horribile dictum est, experientur perpetuam. nam huic signo non solum verbis, verum etiá contradicitur operibus, iuxta illud Pauli ad Titũ primo: Cõfitentur se nosse Deum; factis autem negant. quicumque igitur non student iuxta hoc exemplar vitã suam instituere quales sunt omnes luxuriosi, auari, superbi, inuidi, ebrietati dediti, & omnes vt vno expediam verbo, qui mandata Christi non obseruant, euidentissime huic signo contradicunt. Cui enim displicet castitas & placet impudicitia, is huic castitatis signo contradicit. hinc habemus Eccle. 21. Audiuit luxuriosus & displicebat illi, gerens signum immũditiæ. Similiter & superbi qui se humiliare nolunt, huic humilitatis signo contradicunt. Eodem modo & omnes alij, cuiuscunque conditionis vel status fuerint, quotiescunque opera faciunt homine Christiano indigna, toties huic signo contradicere apte dici possunt. Sequitur:

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius] non ait carnem sed animam, in qua doloris aculeus quasi gladius operatur. Quapropter hoc de gladio corporeo intelligi nõ potest. quandoquidem is non animam, sed solũ corpus pertransire potest. quid ergo? Gladius hic metaphorice appellatur maxima cordis anxietas, suprema afflictio, & acutissimus dolor sæpenumero corporalis gladij vulnera superans, quem sustinuit beata virgo quando in passione filij maternorum viscerum dolore confixa est. nam compassionis dominicæ gladius tenerrimum cor Mariæ ineffabili & immensa quadam compassione velut transuerberauit. quamuis enim Christum vtpote Dei filium sponte propria mori, mortemque ipsam non dubitaret esse deuicturum potenterque resurrecturũ: tamen non potuit gloriosa illa Dei genitrix virgo Maria sua carne procreatum nisi cum maximo doloris affectu videre crucifigi. Et ob id dolores, quos parturiendo non sensit, vt se matrem sentiret, moriente Christo pertulit. Estque iste loquendi modus, quo per gladium immensus animi dolor significatur scripturæ non infrequens. hinc Psal. 140. habemus de Ioseph patriarcha, misit ante eos virum in seruum venundatus est

tus est Ioſeph, & humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertranſijt animam eius. vbi per ferrum quod animam Ioſeph pertranſiſſe canitur, nihil melius quàm dura tribulatio mentis intelligitur.

Vnde manifeſtum eſt beatam virginem pluſquam martyrem fuiſſe. Alij namque ſancti quamuis mortem pro Chriſto ſuſtinuerint corporalem; tamen in anima, quia immortalis eſt, pati non potuerunt. Maria autem quia in anima, quæ impaſſibilis habetur, paſſa eſt; pluſquam martyr fuit. tantus namque & tã vehemens in Dominica paſſione extitit Mariæ matris cruciatus, vt ipſa eum, niſi ſingulari quadam & præuenta & adiuta fuiſſet virtute diuina, perferre nequaquam potuiſſet.

Vel iſtud intelligi poteſt de gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei; quemadmodum Paulus docet ad Eph. 6. dicens: Accipite gladium ſpiritus quod eſt verbum Dei. De quo gladio loquitur & dominus Matth. 10. dicens: Non veni pacem mittere, ſed gladium. Hic autem gladius, eſt arcanorũ & ſecretorũ Dei apertio & ſermo Dei nos ſupra quam dici poſſit, intus illuminans. hinc Paulus ad Hebr. 4. c. Viuus eſt ſermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque & medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis. vnde & hic animam penetrare dicitur. quaſi dicat Simeon: Sermo Dei viuus & efficax, o Maria virgo ſanctiſſima, tuum adeo illuſtrabit intellectum vt reuelandæ ſint tibi ex multis cordibus cogitationes. hinc ſequitur:

Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.] ſcilicet tibi o Maria hominum & angelorum decus maximum. quaſi dicat Simeon: Ob id tuam ipſius animam pertrãſibit gladius ſpiritusſancti; vt arcana legis & prophetarum conſilia & occulta myſteria, quæ nemo niſi ſpiritusſancto reuelante cognoſcere poteſt, tibi reuelentur: teque ſpiritusſanctus per verbum ſuum cognoſcere faciat. quamobrẽ neceſſarium non eſt, o beatiſſima virgo, vt hæc vlterius tibi aperiam & explicem.

Si quis autem exiſtimet hanc me ex propria pharetra deprompſiſſe interpretationem & hunc ſcripturæ locum

proprio

proprie confiſum ingenio, nō innixum nec firmatum alicuius veterum authoritate, ſic interpretatum eſſe: is velim animaduertat hanc non meam, ſed beatiſſimi Ambroſij eſſe interpretationem. Is namque hoc in loco dicit hic ſignificari prudentiam Mariæ haud ignaram myſterij cæleſtis. quod quæſo quid aliud eſt, quàm quod ego iā alijs verbis explicui? Rurſus ſi quis obijciat valde abſurdum eſſe per cogitationes intelligere occulta prophetarū myſteria; is attendat græcè primitus conſcriptum Euangeliū & vocabulum græcum διαλογισμὸς hoc in loco poſitum variam habere ſignificationem. nam non ſolum meditationem & inteſtinā ſermocinationē; &, vt nos habemus, cogitationem, ſignificat: verum etiam externam & conſcriptam ratiocinationem, ſeu de aliqua re diſputationem qualem de Chriſto inuenire eſt multam & variam apud prophetas, deſignat:

Porro iuxta hāc huius ſcripturæ interpretationem hæc textus particula ad illud quod immediate præcedit, refertur. & dictio (vt) cauſaliter accipitur.

Alij autem hanc textus partem non ad hoc quod immediate præcedit, ſed ad illud, quod mediate anteceſſit; nimirum Chriſtus poſitus eſt in ſignum, referunt: & partem illam textus immediate præcedentem (videlicet tuā ipſius animam pertranſibit gladius) per modum parētheſeos interiectam (vt opinor) volunt. Iuxta horum ſentētiam hic ſenſus: Ieſus Nazarenus ſubactus eſt in crucem, vt multorum cogitationes, id eſt, dicta, ſcripta, atque ſecreta prophetarum myſteria reuelarentur. quis enim niſi Chriſtus paſſus eſſet, intelligere poſſet, quid propheta cogitaſſet quum diceret: Foderunt manus meas & pedes meos & dinumerauerunt omnia oſſa mea? quum diceret: Dederunt in eſcam meam fel & in ſiti mea potauerūt me aceto? quum diceret: Ego dormiui & ſomnū cepi & exurrexi, quoniam Dominus ſuſcepit me? quum denique diceret: Deus autem rex noſter ante ſecula operatus eſt ſalutem in medio terræ? Sunt & alia innumera, quæ ob id Iudæi intelligere non poſſunt, quia de Ieſu Nazareno nō eſſe dicta exiſtimant: quæ nec nobis cognita eſſent, niſi ipſo facto per Ieſum Nazarenum eſſent nobis exhibita.

vnde

vnde Apocal. 5. a. Cum beatus Ioannes librum omnium prophetarum ſignatum vidiſſet, multumque fleret quod nemo dignus inuentus eſſet aperire librum, dictum eſt ei, ne fleueris: Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid aperire librum & ſoluere ſeptem ſingula eius. Ex quibus liquido conſtat omnium prophetarum cogitationes & arcana myſteria per Chriſti paſſionem eſſe reuelata. quemadmodum nobis & velum templi, quod eo moriente ſciſſum eſt, vt omnibus apparerent ſancta ſanctorum, apertiſſime inſinuauit.

Iuxta hanc interpretationem dictio (vt) cauſaliter non ponitur, ſed duntaxat euentum deſignat. Non enim ideo paſſus eſt Chriſtus vt ſecreta prophetarum manifeſtarentur myſteria, ſed vt vniuerſum genus redimeretur humanum: quod vt præſciretur & hominibus denunciaretur, prophetæ à Deo ordinati ſunt: quorum manifeſtatio ad mortem Chriſti ſequuta eſt: his enim omnibus quæ prædixerunt prophetæ, euenientibus, factum eſt, vt & prophetæ recte intelligerentur.

Alij denique hanc textus particulam ad id quod mediate præceſſit nimirum ad illud (cui contradicetur) referunt. Nam ex illis contradictionibus factum eſt vt reuelatæ ſint ex multis cordibus cogitationes. Ex illis enim & inſidiæ Iudæorum, & odium atque duritia populi, & malitia ſacerdotum, & auaritia Iudæ, & incōſtantia Pilati, & puſillanimitas Petri, & aliorum diſcipulorum infirmitas patuit.

Iuxta hunc igitur ſenſum hic prophetat Simeon noſter qualis futurus ſit ſtatus mundi tempore paſſionis Chriſti: atque poſt eius mortem. eumque futurum prędicit in exteriori profeſſione interiorum cogitationum. quia tamē non ob id contradixerunt huic ſigno Iudæi, vt ipſorū cogitationes reuelarentur, ſed vt ſuam in Chriſtū exercerent malitiam: ideo iuxta hanc interpretationem dictio (vt) nō cauſaliter, ſed conſecutiue accipitur. his enim cōtradictionibus exiſtētibus ſequuta eſt erga multos meditationum directio. quidam enim iuxta crucem eum verum eſſe Deum fatebantur, alij nec ſic ab iniurijs & probroſis verbis deſiſtebant.

ENAR-

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICAE PRIMAE POST CHRISTI NATALEM CAPVT TERTIVM.

ET ERAT *Anna*,] quia omnem ætatem & omnem ſexum atque ſtatum Dominus redẽptum venerat: dignum erat vt omnis in eius natiuitate teſtimoniũ ferret. quia ergo prophetauerat paruulus adhuc in vtero matris clauſus Ioannes: Prophetauerat adoleſcentula virgo Maria ſanctiſſima: Prophetauerat Altiſſimi ſacerdos Zacharias: Prophetauerat eius copulata coniugio Elizabeth: Prophetauerat admodum grandis natu Simeon: Vidua adhuc deerat, cuius nunc tandem meminit Euangeliſta: vt nullius ætatis aut conditionis homines ad laudandum eum deſiderarentur, ſed illa impleretur prophetia quæ dicit: Iuuenes & virgines, ſenes cum iunioribus laudent nomen Domini: quia exaltatum eſt nomen eius ſolius. Sequitur:

Prophetiſſa,] quia autem Anna longa caſtitate, multis ieiunijs, & obſecrationibus (vt ex ſequentibus manifeſtũ erit) Deo ſeruierat, idcirco ſpiritum prophetandi accipere atque ad culmen propheticum aſcendere meruit: & ob id prophetiſſa nuncupatur: quod ad Annæ officium pertinet. Sequitur:

filia Phanuel,] hoc autem ad eius genealogiam ſpectat. Sequitur:

de tribu Aſer] Aſer inter duodecim patriarchas filios Iacob, naſcẽdi ordine habetur octauꝰ & interpretatur beatꝰ.

Hæc autem omnia quamuis paruipendenda ſint, maxime cum proprias vniuſcuiuſque intueamur virtutes; & non generis claritas ſed virtus Deo hominibusq́; nos faciat acceptos (ſiquidem nobilitas ſine virtute vanitas coram Deo & ſtultitia eſt.) tamen verum eſt quod ait Hieronymus hoc ſolum in nobilitate generis appetendum quod hinc nobilium filij quaſi quadam neceſſitate aſtringuntur, ne à maiorum nobilitate degenerent, maxime cum hoc fiat ſæpiſſime vt patri optimo filius obtingat peſſimus. ſicut Adæ, Chaim, Noë Cham, & Abrahæ Iſmael.

Econ-

Econtrario quoque fiat, vt parens iniquus filium habeat optimum, ſicut Achaz qui exemplo aliorum regum Iſrael fecit malum coram Domino, filium habuit optimũ Ezechiam, de quo ſcriptura ait quod fecit bonum coram Domino iuxta omnia, quæ fecerat Dauid pater eius.

Quia igitur Anna omnẽ adhibuerat operam, ne à maiorum ſuorum honeſtis moribus vel latum vnguem diſcederet aut tãtillum degeneraret: à generis nobilitate hic ab Euangeliſta illuſtris & clara prædicatur. Illis enim & ſolis illis à generis nobilitate honos debetur, qui & ipſi (quemadmodum fecere eorum aui, proaui & abaui &c.) ſtudent vt animum virtutibus nobilitent. Alioqui quid ridiculum magis quàm eos à virtutibus quas anteceſſores eorũ exercuere, velle laudibus euehi, qui virtutes odere cane peius & angue: dum magis placet ebrietas & temulentia quàm ſobrietas, ſcortatio quàm caſtitas, ſuperbia quàm humilitas, auaritia quàm liberalitas, acedia quã deuotio, inuidia quam charitas. Pudẽda ignobilitas, cum Chriſto nullam habere cognationem, qui nõ agnoſcit, niſi qui faciunt voluntatem patris ſui, qui in cælis eſt. Quapropter ingenuus non eſt qui pudẽda committit, qui militat Satanæ, qui ſe mancipauit mãmonæ & Veneri alijsq́; vitijs, ſed turpiſſimam ſimul & miſerrimam ſeruit ſeruitutem. Turpiter ſpurius eſt qui patrem habet diabolum. Habet autem qui illius opera facit, niſi mẽtitus eſt Chriſtus, ſed non nouit mentiri veritas. Sequitur.

hec proceſſerat in diebus multis.] hoc eſt, Erat prouectę admodum ætatis & ſupra modũ vetula ſiue anus. nã ad minus centum & ſex annos compleuerat, etiamſi ponamus eam dũtaxat annorum fuiſſe quindecim, cùm marito traderetur, nam anni quindecim, quos exegerat antequã viro nuptui daretur, & anni ſeptem quibus viro erat locata atque coniuncta, & octoginta quatuor anni, quibus vidua permanſit, centum & ſex annos complent. Sequitur.

& vixerat cũ viro ſuo,] hic diligenter animaduerte quòd vixerit Anna cum viro, non cum multis: & cum viro ſuo, non cum alieno. vnde nobis caſtitas eius cõiugalis fit manifeſta. & exemplum datur fœminis nuptum datis, vt earum vnaquæque non cum multis, ſed cum vnico, eoque

proprio

proprio viuat marito. Sequitur:

ſeptem annis à virginitate ſua.] hoc eſt, à tempore amiſſæ ſuæ virginitatis. hinc perſpicuum eſt, quod virginitatem ſuam, quouſque viro daretur nuptum, inuiolatam conſeruauit. Sequitur.

Et hæc vidua erat vſque ad annos octoginta quatuor] hic Græcus textus ſic habet: Καὶ αὕτη χήρα ὡς ἐτῶν ὀγδοήκοντα τεσσάρων. hoc eſt, & hæc vidua erat ferme vel circiter annorum octoginta quatuor. non enim ſignificatur abſolute eam annorum octoginta quatuor fuiſſe, ſed duntaxat eam circiter tot annorum extitiſſe.

Ecce poſt viri ſui mortē, tametſi annis tantū ſeptē illū habuiſſet, nunquā alteri voluit copulari marito, nec viri alterius amplexibus perfrui, ſed manere innupta, nō quo à iugo mariti liberata licētius viueret. nā (vt inquit Paulus poſterioris ad Timoth. 5.) quæ in delitijs viuit vidua, mortua eſt: ſed vt Deo deuotius & inſtantius inſeruiret: iuxta illud quod ait Apoſtolus poſterioris ad Timoth. 2. a. nemo militans Deo implicat ſe negocijs ſecularibus: & iterum illud prioris ad Corinth. 7. f. Mulier innupta cogitat, quæ domini ſunt, vt ſit ſancta & corpore & ſpiritu. quæ autem nupta eſt cogitat, quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.

Quemadmodum igitur habent coniugatæ in Elizabeth quod imitentur; & virgines in Maria quod ſequātur; & ſenes in Simeone quod amplectantur: ſic habent & viduę exemplum viduitatis in Anna, ad cuius numerum ingrediantur, ad quod exemplar vitam ſuam inſtituāt, vt vita ſua illi reſpōdeant: vt diſcant poſt virorū ſuorum mortem carnis vitare laſciuiam. quia Anna poſt mortem viri quamuis admodū adoleſcētula adhuc eſſet, circiter octoginta quatuor annis vidua permāſit. Pudeat igitur viduas in ſenectute caſtitatem violare, quam Anna in iuuentute cuſtodiuit. Sed dicet quis: quomodo ergo Paulus iubet prioris ad Timoth. 5. c. Adoleſcentiores nubere & matres familias fieri? Propter earum incontinentiam, quas mallet ſi continentes eſſent, conſeruare viduitatem. nam manifeſte ſic dicit prioris ad Corinth. 7. b. Dico autem non nuptis. & viduis: Bonum eſt illis ſi ſic permanſerint,

ſicut

ſicut & ego. quod ſi non ſe continent, nubant. Melius eſt enim nubere quam vri.

Deinde iam oſtendit Euangeliſta quibus potiſſimum Anna virtutibus ſtatum viduitatis exornauerit. hinc ſequitur:

quæ non diſcedebat de templo] non quod in templo ſine intermiſſione permaneret, dormiret, comederet, biberet, aut alia corpori neceſſaria ibi ageret, cum hæc omnia in domibus teſte Apoſtolo facienda ſint: ſed quod præ ceteris ibi frequentius fuerit orationibus vacans: quodque omni tempore oportuno & ſtatutis orationis horis (quas etiam apud Iudæos fuiſſe conſtat) rebus interfuerit diuinis penſum ſuarum precum perſoluens. Vel quod, etſi ad tempus propter corporalem neceſſitatem receſſerit; tamen deuotione mentis ſemper in oratione perſeuerauerit, iuxta illud Luc. 18. a. Oportet ſemper orare & non deficere. Vel iuxta Pauli præceptum prioris ad Corinth. 10. g. Siue mãducatis ſiue bibitis, ſiue aliud quippiam facitis: omnia in gloriam Dei facite. neque enim per domos ocioſa & verboſa, loquens quæ non expediebant, diſcurrebat: ſed tempus omne quod habebat, orationi & ſanctæ compunctionis ſtudijs dedicabat.

Diſcant hinc viduæ non circuire domos nec in delitijs viuere, non fabulis ocioſis occupare linguam, ſed in templo ſemper ſaltem mente perſeuerare, vt in earum numero computentur, de quibus dicit Apoſtolus, Quæ vere viduæ ſunt & deſolatæ ſperant in Domino.

Quod autem & ſtatutę orationis horæ vt prædictũ eſt, apud Iudæos obſeruatæ fuerint, certo cõſtat. nam Petrus & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam. ſic & Cornelius centurio hora nona erat orans in domo ſua. Et quis dubitat pie viuentes exemplo Dauid etiam tũc ſepties in die laudẽ Deo dixiſſe. hunc morem iã obſeruant omnes boni religioſi: hunc ſeruare deberent omnes Canonici, omnes Sacerdotes, omnes Eccleſiarum miniſtri. Sequitur:

ieiunijs] ieiunia pigritiam, ſomnolentiam, libidinum flammas, carnis vitia, loquacitatem, petulantiam & laſciuiam, quę omnia ex edacitate naſcũtur, pellunt, & peccata auferunt

auferunt atque extinguunt. Vigilem & sobriam mentem præstant, carnem in spiritus seruitutem & obedientiā redigunt. hominem ad omne opus bonum expeditum reddunt, eumque capacē diuinæ sapientiæ efficiunt, illuminant quoque & omnis gratiæ incrementum conferunt.

Econtrario caro bene pasta & saginata ruptis vinculis timoris Dei, honoris & honestatis, iugum Domini, quāuis leue & suaue sit, modo amoris acrimonia condiatur, reijcit & excutit: se immunditiæ tradit: iumentorum instar in stercore computrescit: & in corruptione sua perit. quapropter qui se in sanctitate & iustitia sine ieiunij rigore seruire Deo posse arbitratur, longe lateque aberrat. quod animaduertens hæc Anna, delitias carnis, ne in laqueum diaboli incideret, fugit: & exemplo Iudith cunctis diebus vitæ suę ieiunauit, flammas libidinum ieiunijs multis extinxit, carnem in spiritus seruitutem redegit, & se ad omne opus bonum expeditam reddidit.

Hinc discant viduæ in abstinentia, quæ summa virtus est & laudanda plurimum, viuere: econtrario gulam, quæ est vitium detestabile abominari.

Verum quemadmodum labor inutilis est agrum à sentibus expurgare & fruticibus, nisi semine bono vt fructus bonos in benedictione adferat, seminetur: sic parum est ieiunijs quæ solum dispositiue mentem in Deum eleuāt, carnem domare, nisi & orationibus quæ directe, formaliter, & immediate in Deum nos dirigunt, quàm diligentissime vacemus. Ideo sequitur:

& obsecrationibus.] vnde & Matth. 17. Ieiunium orationi coniunctum inuenimus, vbi dixit Dominus, hoc genus dæmoniorum nō eijcitur nisi in oratione & ieiunio. Porro obsecratio est per sacra contestatio ad misericordiam Dei implorandam. & ob id fit cum rei sacræ additione, vt quum sic rogamus Altissimum. Adiuua nos Domine propter nomen tuum: Libera nos Domine à peccatis nostris propter gloriam nominis tui: vel propter bonitatem tuā: vel propter temetipsum inclina Deus meus aurem tuam: vel per natiuitatem tuam libera nos Domine: & per passionem tuam miserere nostri: vel verbis alijs id ipsum significantibus. Estque hoc efficacissimum orandi genus.

quapropter ſemper orationem concludimus dicendo, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Sequitur:

ſeruiens,] ſcilicet Deo, idque propter ſemetipſum quoniam bonus eſt, & quia ei ſeruire regnare eſt. Sequitur:

nocte & die] hoc eſt, frequentibus & competentibus vicibus, nocturnis pariter & diurnis. hinc Pſalmiſta: Beatus vir, qui in lege Domini meditabitur die ac nocte. quibus verbis noſtri animi torpor reprehenditur, noſtra tepiditas vituperio aſpergitur, noſtra tarditas redarguitur, noſtra acedia taxatur, qui ad orationem tarde conuenimus; citius, quàm neceſſe eſt, recedimus: & omne noſtræ vitæ tẽpus comeſſationibus & ſuperfluis locutionibus conterimus, & cyathos ſorbillantes paulatim producimus.

Ceterum diligẽter adeo hæc omnia, quæ ad Annæ laudem pertinebant, Euangeliſta deſcripſit, partim vt omniũ horum veritas omnibus infallibilis redderetur: partim vt hęc Anna ab alijs, quæ ſimili modo vocabãtur, diſtingueretur: partim vt Euangeliſta dignam illam oſtẽderet, quæ confiteretur Domino & teſtimonium Chriſto perhiberet. ſiquidem vita ſua omnibus cuiuſcunque ſtatus fœminis ſpecimen virtutis exhibuit, dum virginibus virgo, nuptis nupta, & viduis vidua vitæ ſanctæ præbuit exemplum. quapropter omni ex parte digna extitit, quæ & Meſſiæ teſtis eſſet & aduentum redemptoris mundi nunciaret. hinc ſequitur;

Et hæc ipſa hora] ſcilicet qua Simeon accepit puerum in vlnas ſuas. *ſuperueniens*] vbi græcus textus habet ἐπιστᾶσα id eſt, aſſiſtens. *confitebatur domino.*] vbi græce habemus: ἀνθωμολογεῖτο τῷ κυρίῳ, id eſt, viciſſim confitebatur Domino, & confeſſione reſpondebat, hoc eſt, poſtquam Simeon confeſſus fuerat myſteria Ieſu, tunc & Anna cõfeſſionem Simeonis proſecuta reſpõdebat illi, & dicta illius confirmando & confeſſionem propriam confeſſioni Simeonis addendo. nam ἀνθωμολογέομαι, quo ſanctus Lucas hoc in loco vtitur, nõ ſimplicem confeſſionem ſignificat: ſed alternationem & viciſſitudinem confeſſionis importat.

Ceterum confeſſio non ſemper ad peccatum pertinet, quemadmodum quum dicit Pſalmiſta, Pſal. 31. Dixi: confitebor

fitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino,& tu remiſiſti impietatem peccati mei: ſed aliquando etiam ad laudem,aliquando ad gratiarum actionem,aliquando ad fidei proteſtationem. Ad laudem quum dicit Pſalmiſta, Pſal.108.d.Confitebor domino nimis in ore meo,in medio multorum laudabo eum. Ad gratiarum actionē, cùm dicit idem pſalmographus Pſal.110.a.Confitebor tibi domine in toto corde meo,quoniam audiſti verba oris mei. Et cùm dicit Chriſtus Matth. 11. d. Confiteor tibi pater Domine cæli & terræ quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus & reuelaſti ea paruulis. Ad fidei vero proteſtationem,cū dicit Apoſtolus ad Rom.10.b.Corde creditur ad iuſtitiam;ore autem cōfeſſio fit ad ſalutem,id eſt, ore fidem proteſtamur ad ſalutem . Eodem modo & hic confeſſio Annæ non ad peccatum, ſed ad laudem, gratiarum actionem,& fidei proteſtationem attinet. Anna itaque cōfitebatur domino,id eſt,quem vidit præſentem Ieſum,laudauit,eique eò,quòd iuxta prophetarum oracula ad mundi redemptionem deſcendiſſet, quas potuit maximas, egit gratias,& coram omnibus fidem ſuam ſynceris verbis proteſtata eſt. quamobrem Anna in Simeonis bona verba:laudis gratiarum actionis & fidei proteſtationis antiphonas viciſſim reſpondit. vnde colligitur Chriſti ſponſas prohibendas non eſſe, ne cum viris in Eccleſia laudis ſacrificium Deo alternatim decantent: quemadmodum Moniales & Beginæ in hodiernum vſq; diem agunt. Sequitur:

Domino.] nimirum Deo incarnato,hoc eſt,Ieſu Chriſto. nam ſubditur:

& loquebatur de illo,] ſcilicet Ieſu Chriſto, non de mundo nec rebus mundanis. quid autem de verbo ad verbum de Chriſto locuta ſit Anna,in Euangelio expreſſum nō eſt. Sanctæ Eccleſię doctores ſentiunt ipſam coram omnibus præſentibus dixiſſe, quod puerulus ille præſens Ieſus eſſet verus Meſſias, veruſque Dei filius in gratiam noſtri iam iam incarnatus,vt nos ſua futura paſſione & precioſiſſimi ſanguinis effuſione à iugo peccati, à poteſtate diaboli & à condemnatione æterna liberaret & redimeret: atque vt nos cæleſtibus regnis per ipſum apertis eo perduceret. vnde ma-

de manifeſtum eſt quod Anna nõ ſolum laudabat Ieſum Dei filium, verum etiam alios ſuis verbis ad filij Dei laudem prouocabat. quod & nos omni tempore facere debemus.

Nec mirum cuiquã videri debet, quod Anna hæc & ſimilia adhuc per ipſum adimplenda prædicere potuit, quum propheriſſa extiterit, & ſpiritu prophetico hæc futura prædixerit.

Hac autẽ ſua prædicatione roborabat firma ſpe & certiſſima expectatione eos, qui tyrãnide diaboli grauati expectabant liberationẽ Iſrael per Chriſtum. hinc ſequitur: *omnibus qui expectabãt redemptionem Iſrael.*] hoc eſt, Liberationem Iſraëliticæ plebis à iugo peccati, à poteſtate diaboli, & condemnatione æterna. Sed quare illis potius qui expectabãt redemptionem Iſraël, loquebatur, quàm alijs? quia ſanctũ dare canibus & margaritas mittere ante porcos nolebat; ſicuti nec æquum erat.

Et vt perfecerunt omnia ſecundum legem Domini: reuerſi ſunt in Galilæam in ciuitatem ſuam Nazareth.] hoc eſt, Poſtquam Maria & Ioſeph omnia in templo abſoluerunt quæ ſecũdum legis præcepta ad ritum purificationis ſpectabant: nimirum infantem in templo offerendo, atque hũc quinque ciclis redimendo, legaleſque hoſtias immolando (vt habetur Leuit. 12. a.) tunc reuerſi ſunt in Galilæam in ciuitatem ſuam Nazareth.

Quamuis autem ad nullius iſtorũ, quæ prædicta ſunt, impletionem parentes Ieſu obligarentur, eo quod lex Leuit. 12. exceperit hanc, quæ non ſuſcepto ſemine ſed ſpiritu ſancto in eam deſuper veniente peperit: tamen communi lege tum ad euitandum ſcandalum, tum ad exemplum humilitatis nobis exhibendum vti voluerunt.

Cum igitur communi aliorum more hæc omnia facta tranſactaque reddidiſſent, reuerſi ſunt in galileam; nõ ſtatim. nam interceſſit fuga in Aegyptum. Sæpe enim cum aliquid narrant Euangeliſtæ factum poſt aliud, ita id narrant quaſi mox poſt illud factum ſit, cùm tamen multa interceſſerint. Atque hoc ex eo contingit, quod quandoq; ea quæ intercedere deberet ab alio aliquo Euangeliſta ſatis enatrata ſciant, & ob id omittant. quod & hic accidiſ-
ſe vide-

ſe videmus. nam Lucas multa hoc in loco prætermiſit, quæ à Matthæo ſatis deſcripta nouerat. quapropter non ſtatim poſt purificationem reuerſi ſunt in Galilæam, ſed admonitus in ſomnis Ioſeph (vt Matthęus ait) ſeceſſit cũ puero in Aegyptum, ne ab Herode necãdus inueniretur. & erat ibi vſque ad obitum Herodis. Defuncto autẽ Herode rediit in Galilęam. & (vt hic ſcribitur) habitauit in ciuitate Nazareth. vnde reuerſio in Galilęam, cuius hic meminit Lucas, eadem eſt cum ea, quam Matthæus commemorat factam poſt reditum ex Aegypto. quia enim Ioſeph (ſecũdum Matthæi narrationem) reuerſus ex Aegypto decreuerat redire in Iudęam: admonitus autẽ in ſomnis ſeceſſit in Galilæam: apparet ex Iudæa, non autem ex Galilæa ipſum fugiſſe. Si enim ex Nazareth fugiſſet in Aegyptum, non dubitaſſet in Nazareth redeundum eſſe, maxime cùm ibi domum haberet propriam; non autem in Bethlehem. Huius ſententiæ ſunt ſanctiſſimus Auguſtinus & venerabilis Beda. Sequitur:

in ciuitatem ſuam Nazareth] Nazareth autem dicitur eorum ciuitas, quia antequam venirent in Bethlehem, ibi habitauerant, idcirco & Chriſtus ibi conceptus erat. Sequitur:

Puer autem] in eo quod puer vocatur, minor angelis effectus eſt, & creſcere & confortari potuit. hinc ſequitur:

creſcebat] ſcilicet ſecũdum quod homo, & ætate & corporis quantitate, qui, vt Deus, idem ipſe eſt & inuariabilis permanet, & æternaliter perfectus eſt. quamuis enim potuit ex vtero matris in ſtatura perfecti viri procedere, & iuſtam ſtatim & perfectam ſibi aſſumere magnitudinem: maluit tamen vt puer paulatim & tempore creſcere. partim ne phantaſma videretur, partim vt oſtenderet ſe dedignatum non eſſe omnem illam humanæ naturæ cõditionem (dummodo peccatum & pronitatem ad peccandum & ignorantiam exceperis) noſtri gratia ſuſcipere. quamobrem hic radicitus extirpatur Manichęorum hæreticum dogma, qui dixerunt dominum noſtrum Ieſum Chriſtum verum corpus non aſſumpſiſſe. niſi enim veram carnem habuiſſet, creſcere non potuiſſet. quia in natura Dei nec minui nec augeri poteſt.

& confortabatur] Græci codices addunt, ſpiritu; ſic enim habent Καὶ ἐκραταιοῦτο πνεύματι, id eſt, confortabatur ſpiritu, hoc eſt, In anima ſua confirmabatur à ſpiritusancto. Dicitur autem hic Ieſus iuxta corporis ſtaturam in anima ſua corroborari ſpiritu & proficere, non quod iuxta corporis ſtaturam ſapientior redderetur, ſed quia ſicut creſcendo magis ac magis augebatur corpore: ita quoque magis ac magis ſibi inſitam demonſtraret ſapientiam, eáque cum ætatis incremento indies magis ac magis hominibus exhiberet videndam & audiendam, ĳsq́ue redderet manifeſtam. Si enim quamdiu paruus ætate erat, omnem ſuam demonſtraſſet ſapientiam, prodigium viſus fuiſſet, nunc autem iuxta incrementi menſuram, ſapiētiam ſuam declarabat: & hanc paulatim foris magis ac magis exhibebat. Et ob id hic dicitur Chriſtus à ſpiritusancto in anima confortatus. Vel à ſpiritusancto in anima confortatus aſſeritur, quia in ſapientiæ actibus continuo ſeſe exercebat. Vel quia ſapientia non ſibi, ſed alĳs, dum alios ad laudem Dei excitabat, proficiebat, quemadmodum magiſter in ſcholis proficere dicitur, dum eius diſcipuli in eruditione ſub eo proficiunt. quare iuxta menſuram ætatis corporeæ non reddebatur ſapientior: ſed duntaxat ſapientia ei indita ab eo ad aliorum eruditionem declarabatur, & quotidie magis ac magis in eo emicabat atque elucebat. quomodo enim is paulatim ſapientior reddi poſſet, qui ab ipſo incarnationis momento, omni ſapientia, virtute, gratia, omniq́ue dono ſpiritus ſancti plenus exiſtit? Talis autem extitit, cuius iam fit mentio, puer iſte. Iuxta illud Ioan. 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre plenum gratię & veritatis. vnde & Hier. 31. d. recte dicitur: Nouum faciet Dominus ſuper terrā. mulier circundabit virum. quia in vtero virginis perfectus vir non ſolum propter animam & carnem, ſed etiam propter ſapientiam & gratiam, quibus plenus erat, extitit. vnde & hic adhuc infantulus plenus ſapientia à Luca deſcribitur. hinc ſequitur:

plenus ſapiētia] ſcilicet diuina & increata. quia, vt Deus, fuit ſubſtantialiter ſapiens & ſapiētia ipſa æterna, increata & immenſa. Deinde & plenus extitit ſapientia creata & infuſa,

infuſa, eaq́ue omnimoda & abundantiſſima. quia in eo adhuc puero fuerunt omnes ſapientiæ & ſcientiæ theſauri abſconditi. non enim ad menſuram veluti alij homines gratiam ſpiritusſancti recepit, ſed copioſiſſime. nam in eo (ſicut dicit Apoſtolus) habitabat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter Sequitur:

& gratia Dei erat in illo.] nimirũ adeo magna, vt ex quo homo eſſe inciperet, perfectus eſſet homo & Deus, humana aſſumẽs & diuina non deſerens. vnde tanta plenitudo gratiæ Dei erat in illo ſecundum naturam humanam aſſumptam, quantam capere poterat mens creata: ita vt ab exordio ſuæ creationis tota capacitas animæ eius fuerit gratia Dei impleta.

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICÆ PRIMÆ, POST EPIPHANIAM DOMINI,

CAPVT PRIMVM.

Euangelium Lucæ ſecundo f. g.

IN ILLO *tempore, Cùm factus eſſet Ieſus annorum duodecim.*] De Ieſu Chriſto ſeruatore noſtro glorioſiſſimæ Mariæ virginis filio, qui & vere creditur & libere dicitur Dei patris vnigenitus Filius, hic ſermo eſt. An hic tantum duodecim annos ætatis habet? Chriſtus ſecundum quod homo eſt, recte duodecim annos natus aſſeritur. Secundum verò quod Deus eſt, quia non poteſt variari, non poteſt mutari dicẽte Dauide: tu ſémper idem ipſe es, & anni tui non deficient: recte intemporalis & incommutabilis dicitur. In Bethlehem ſecundum hominis naturam naſcitur: ſed iuxta diuinam ab initio, à diebus æternitatis genitus eſt, adeo vt omnia per ipſum facta ſint & ſine ipſo factum ſit nihil. qui autẽ tempus ipſum creauit, ante omne tempus fuerit neceſſe eſt: hinc dicit Ioan. 8. Antequam Abraham fieret, ego ſum.

Hic igitur Deus noster intemporalis, incommutabilis in nostra factus est natura mutabilis & temporalis: vt rebus mutabilibus & temporalibus ad suam æternitatem & stabilitatem viam faceret, vt in vno eodemq́, Seruatore nostro & via esset qua ascenderemus, & vita ad quã veniremus, & veritas qua frueremur. Cum aũt audis factũ, noli dubitare factorẽ. factus est enim in forma serui, qui omnia fecerat in forma Dei. factus est qui cũcta fecerat, vt ille inueniretur, qui bene factus perierat. Sequitur:

ascendentibus illis Hierosolymam.] nimirum Maria & Iosepho. quod autem Maria ascendit, eam non ex præcepto legis fecisse vel ex eo conuincitur, quòd ad festa Iudæorum conuenire viris tantum præceptum erat, mulieribus non item: Dominus enim dixit Exod. 23. d. & 34. c. Ter in anno apparebit omne masculinũ corã domino Deo suo. Vnde constat Mariam dum ascendit in Hierusalem, id ipsum non fecisse ex obligatione legali. Cur igitur? partim, quia à suo filio ob eius amorem diuelli non poterat: partim, quia festiuitatis deuotio hanc inuitabat. his de causis non prolixitate itineris, non asperitate montium, non difficultate laboris retardata, sed impigre tantum itineris absoluens ad festiuam synagogæ vna cum Iosepho solemnitatem peruenit. Sequitur:

Hierosolymam.] hinc perspicuum est quod in festis Iudæorum non solum tempus: sed & locus obseruabatur. vnde certo cognoscitur peregrinationẽ in veteri testamẽto in præcepto fuisse. quod si hodie quoque fieret, maiorẽ haberent conquerẽdi ansam hæretici pauperum nomine, quos dicunt pro educandis filijs operari debere. Sequitur:

secundum consuetudinem diei festi] hinc manifestũ est quod & Maria & Iosephus peregrinabantur, non voluptatis, nõ curiositatis, sed cultus, reuerentiæ & honorificentiæ Dei gratia. quamuis enim Dei filium apud se haberent, cuius lex erat vmbra: tamen legem contemnere prætextu Christi noluerunt: sed potius omnia iuxta præscriptum legis & diei festi consuetudinem peragere voluerunt. Et certe vere piorum est, vt non omnia perpetuo facere instituant, quæ licita sunt: sed potius ea, quæ nõ tam sibi quàm alijs expediunt. Sequitur:

diei

diei festi] scilicet Paschę. nam præsens festiuitas fuit Pa schæ. dominus autem Deus festiuitates tres Iudæis indixerat, quibus quotannis omnes conuenire Hierosolymis debebant: nimirum festiuitatem Paschæ, Pẽtecostes, Scenopegiæ. nam Exod. 23. c. sic habemus, tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis. Solemnitatem azymorum custodies (hoc erat festum Paschæ.) & solemnitatem messis primitiuorum operis tui, quæcunque seminaueris in agro: (hoc erat festum Pentecostes.) Solẽnitatem quoque in exitu anni, quando congregaueris omnes fruges tuas in agro. (& hoc erat festum Scenopegiæ.) Et vnaquæq; harum festiuitatũ durabat per septem dies, atq; præter has festiuitates etiã dies sabbati erat festiuitate venerabilis, & alij quidam dies.

Vnde manifestum est, longe lateque à via veritatis aberrare hęreticos, qui dies festos abrogare conantur, quiq; vnum diem in nullo alij præferendũ esse clamitant. quod si verum est, vt ipsi asserunt, cur dominus ipse Deus festa quædam celebrari præcepit, & quidem lõge præ alijs diebus? aut cur quosdam dies in scripturis sacris vocauit festos, & ab oĩbus habere voluit præ alijs diebus celebres?

Ceterum hæ festiuitates præter futuram rerum imaginem ad hoc institutæ fuerant, vt inter plebem concordia doctrinæ, ceremoniarum, & cultus diuini melius conseruari posset, ne quilibet in suo angulo, suisque latebris noua dogmata, & nouos ritus excogitaret & excogitatos inueheret: sed quemadmodum omnibus non nisi vnus Deus esset cognitus: ita etiam non nisi vna fides, vna doctrina & ijdem ritus apud omnes obseruarentur. Verum quo nunc ventum sit videamus obsecro. multi sunt inter nos, qui à communi Christianorum consortio nõ solum sese abstrahunt, verum etiam plane separant: neque vnquam, aut raro admodum in Christianorũ cœtu cõspiciuntur; & quod apud omnes Christianos honestum ac vtile habitum fuit, ne teruncij quidem faciunt. quisque sibi nihil opus esse neque diebus festis, neque templo, neque concione persuasum habet. Se sibimet legere, orare, & Deum laudare posse, animum inducit & obfirmat suum. vnde fit, proh dolor, vt quot capita, tot opiniones: quot domus, tot fidei

ſchiſmata: quot ciuitates, tot noui Eccleſiæ ritus: quot doctores, tot ſectarum genera nunc reperiantur. Et quomodo alius rerum ſtatus eſſe poteſt, vbi communis congregatio deſeritur & vitatur? Proinde communem fidelium cœtum ſequi & obſeruare non ſolum homini Chriſtiano cõſultiſſimum, verum etiam tutiſſimum eſt; à quo quanto quis ſeſe magis alienat, tanto is in errorem citius adigitur. quare nõ modo vtile ac ſalutare, ſed etiam ſummè neceſſarium eſt, vt communia templa & domus Deo ſacræ habeantur, in quibus communes ceremoniæ & diuinus cultus obſeruetur. In quibus communes, in communibus feſtiuitatibus fiant conciones, quibus populus beneficiorum ſibi à Deo collatorum admoneatur, vt illi ob hæc gratias agat. His enim omnibus & Chriſtiana cõcordia fouetur, & dominus Deus, à quo nobis omne bonũ promanat, colitur. Sequitur:

¶ *conſummatisq; diebus cùm redirent,*] hoc eſt, Completis & tranſactis ſeptem diebus azymorum ad ſolemnitatem illam ſpectãtibus. Solemnitas enim illa ſeptem diebus durare ſolet: vt expreſſe habemus Deut. 16.a. vbi ſic dicitur: Septem diebus comedes abſque fermento. Veruntamen aliqui octo dies huic feſtiuitati deputant. Id quod bene faciunt, ſi præfatis ſeptem integris diebus annumeretur dies immediate eos præcedẽs, in cuius veſpera luna quartadecima immolabatur phaſe, prout in Exodo fuit præceptum. quando igitur gloſſa & doctores octo dies huic feſto aſſignant, dies Paraſceues in cuius veſpera agnus edebatur, cum præfatis annumeratur.

Ceterum his verbis teſtari voluit Euangeliſta parentes Ieſu nihil, quod legis erat, prætermiſiſſe: ſed Hieroſolymis ab initio ad finem vſque feſti permanſiſſe. qua in re eorum continua commendatur deuotio, quod Hieroſolymis toto ſolemnitatis illius tempore commorabantur. vnde & nos docemur in templo ad finem vſque diuini officij perſeuerare, nec ante diuinæ laudis conſummationẽ nos ſubducere. Sed heu proh dolor, nos plerunque nullius rei iacturam facere ſolemus libentius quàm tẽporis, quod cultui diuino impendendum fuerat. hinc nec finem ſacri, nec finem concionis ſubinde expectare ſolemus. In

rebus

rebus vero ludicris & aliquando etiam perniciosis, omne nobis tempus breue videtur. vnde nostra acedia & instabilitas manifeste deprehenditur, qui sæpenumero sine rationabili causa ante finem verbi Dei recedimus, ante finē diuini officij nos subducimus. Sequitur:

cùm redirent] hoc est, cùm reuerterentur ab Hierosolymis Galilæam versus.

remansit puer Iesus in Hierusalem,] vnde colligitur quod Maria & Iosephus puerum Iesum dum irēt in Hierusalē, secum sumpserunt. quo docentur parentes, vt dum ad tēplum pergunt, pueros secum sumant: aut certissimam Dei iram expectēt, qui per prophetam minatur se sanguinem omnium pereuntium ab ijs, quorum id negligentia accidit, requisiturum. Etenim satis non est vt vos boni sitis & vita vestra culpari non possit: sed & hoc agendum vobis est, vt eos qui siue ex vobis prognati, siue vestræ curæ commissi sunt, assuefaciatis pietati ac sanctis moribus. Assumite itaque, dum templum acceditis, filios vestros, vestræque fidei traditos; vt iam inde à pueris operam dent veræ pietatis studijs & cultui diuino, sanctisque assuescāt moribus, audiant ibi missam, auscultent & obseruent verbum Dei, aquam sumant benedictam, ceterasque discant Ecclesiæ consuetudines non negligere: vt sic vna cum annis succrescat in illis amor Dei, & cultus pietatis. nam (vt Hieremias dicit Threnorum tertio) Bonum est homini portare iugum Domini ab adolescentia sua. Adolescens enim (vt habemus Prouerb. 22.) iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea: & quo semel est imbuta recens seruabit odorem testa diu.

Econtrario qui a iuuentute assueuerunt malefacere, in malitia perseuerant. Profecto enim cùm in prauum indurerit iuuentus, fregeris eam citius, quàm correxeris: & quod semel curuum, haud vnquā rectum. hinc Hier. 13. d. Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus varietates suas: & vos poteritis bene facere, cùm didiceritis malum. Non dico tamen, quod nemo qui pueritiæ, adolescentiæque tempore membra sua exhibuit vanitati & iniquitati atque immunditiæ, possit abijcere opera tenebrarum & induere arma lucis: cum nobis luce meridiana ex

na ex Euangelio clarius sit Mariam Magdalenam, Matthæum, filium prodigum atq; Zachæum à diaboli laqueis ad meliorem frugem sese recepisse atque resipuisse. Publicanos item & meretrices Ioannem bene monentē audijsse, teterrimos suos mores in candidos commutasse, atque ad viam iustitiæ reuersos esse. Sed hoc assero quod difficilius & laboriosius sit consueta derelinquere & mandata Dei obseruare eos qui seculo huic seruierunt: non tamen est impossibile. nam etsi viribus arbor sicca absq; fractura flecti non possit: arte tamen & industria & recta curuari & curua possunt recta fieri. sed illo labore opus non erit, si à principio primæ ætatis statim occurratur. quod faciendum esse asserit sapiens Eccl.7.c. dicēs: Filij tibi sunt, erudi illos & curua illos à pueritia eorum. Curua (inquit) ad similitudinem virgulti, quod dum tenerum est, in quāuis partem quàm facillime flecti potest. sed cum iam indurauerit, fregeris citius quàm flexeris: arte tamen industriaque flexibile est. Ad honorem ergo & timorem Dei à prima statim ætate educa liberos tuos, & postmodum illo labore opus non erit.

Remansit autem puer Iesus in Ierusalem, non casu, nec parentum negligentia: sed sua voluntate & ordinatione. Idque multis de causis: quarum prima hæc est, vt ostenderet quanto zelo adhuc puer duceretur rerum cęlestium, vt ipsemet inferius testatur dicens: nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse? Dn̄s namque inter homines homo natus (inquit Beda) fecit quod faciēdum hominibus per angelos imperauerat Deus: seruauit ipse legem, quam dedit, vt nobis qui puri homines sumus, seruandum per omnia quicquid Deus iubet, ostenderet.

Deinde vt suam sapientiam tunc demonstrare ad gloriam patris inciperet. Ad nihil enim aliud laborabat, quā vt sui gloriam patris in omnibus promoueret.

Rursus vt pueris, imo & cunctis exemplum persistendi in templo & cultu diuino præberet.

Denique vt nos amore sapientiæ & profectus spiritualis carnales corporaliter derelinquere debere parētes suo facto doceret. Sequitur:

& non cognouerunt parentes eius.] nimirum ne per paren-

tes à re-

tes à rebus diuinis abſtraheretur : vel ne contemptor horum haberetur, ſi rogatus ab ipſis vt cum eis pergeret in Nazareth, reſiſteret. Ideoque tacitus rem ſuam & patris cæleſtis procurauit.

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICAE PRIMAE POST EPIPHANIAM DOMINI, CAPVT II.

EXISTIMANTES *autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei.*] ſcilicet à Ieruſalem recedendo & verſus Galilæam pergendo.

Aſſerunt nonnulli conſuetudinem fuiſſe, vt ſeorſum viri, ſeorſum mulieres, propter maiorem deuotionem iter agerent euntes ad ſolemnitates : puerosque impuberes licitè cum vtriſque iuiſſe. quo factum eſt, vt beata virgo exiſtimaret eum eſſe in comitatu Ioſeph: Ioſeph autem opinaretur eundem eſſe in comitatu mulierum. Atque ob id peregerunt iter vnius diei, eum eſſe in comitatu exiſtimantes.

& requirebant eum inter cognatos & notos.] ſcilicet cùm veſpere & in fine primæ diei ad hoſpitium deuenientes & mutuo colloquentes animaduerterent, quòd cum nullo ipſorum eſſet, vel rediſſet Ieſus, nec ſcirent vbi eſſet. Tunc enim eodem veſperi & etiam toto die ſequenti requirebãt eum inter cognatos & notos, ſperantes illum apud eorum aliquem ex amicitia fuiſſe detentum.

Et non inuenientes eum,] nimirum inter cognatos & notos. nam Dominus ſæpenumero non inuenitur inter cognatos & notos. nec etiam ſemper apud amicos conſilia bona & vitæ ſalutaria reperiri poſſunt.

Dominus autem, quando voluit eſſe, in his quæ patris ſui erant, non eſt inuentus inter cognatos & notos, vt nos ſuo doceret exemplo renũciare debere cognatis & notis, quando volumus cæleſtis doctrinæ promotionem ſuſcipere : quia non contingit metam perfectionis attingere eos qui adhuc vagantur in his, quæ corpori conferunt. Et quemadmodũ hoc hic ſuo exemplo : ita quoq; poſtmodum hoc ſuo docuit diuino eloquio dicens; Luc. 14. f. Si quis ve-

quis venit ad me & non odit patrem suum & matrem & vxorem & filios & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam: non potest meus esse discipulus. Sequitur:

regressi sunt in Ierusalem.] scilicet tertia die. hinc discimus exemplo Mariç & Iosephi, vbi nam Christum, si eum inuenire volumus, quærere debeamus; quæri namque debet à nobis, si eum inuenire desideramus, in Ierusalem. nam cum vnaquæque res suum locum à Deo sibi habeat deputatum: ideo in suo loco vnaquæque res, vt inueniri possit, quæri debet. Sic pisces in aqua, feræ in desertis & montibus, pecora in campis, & pascuis, fructus in arboribus: Christus autem in Ierusalem, quæ visio pacis interpretatur. nam in pace factus est locus eius, & non nisi inter concordes habitare inuenitur. Inter discordes enim non Christus, sed diabolus reperitur. hinc prioris ad Corinth. 14.f. non enim est dissensionis Deus, sed pacis.

Cum autem Christus in Ierusalem quæri debeat: sunt tamen quidam, qui nunquam Ierusalem adeunt, sed semper alia loca. Iam conuenticula potorum & tabernas: iam plateas & forum: iam prostibula & loca inhonesta: iã alia loca voluptuaria, in quibus Christus reperiri non potest. & ideo illis in locis eum non inuenient vnquam. Ite igitur qui Christum inuenire desideratis, cum Maria & Iosepho in Ierusalem, in templum, & inter doctores: sine dubio eum inuenietis. Sequitur:

requirentes eum] hinc ipsa re cõperimus Mariam & Iosephum manibus, pedibusque, noctesque & dies obnixe omnia fecisse, quç suarum erant partium: neque vllo tempore eos suis officijs defuisse. Vnde discimus quantopere parentibus curæ debeant esse filij, quos tamen, proh dolor, vbique & semper videmus mirum in modum parentibus esse neglectui, nec quicquam eos pensi habere an recte instituantur, an non. qui si perpenderent quàm districtam iustissimo iudici Deo de illis sint reddituri rationem, certe maiorem illorum gererent curam. Sunt profecto qui maiorem suorum pecorum quàm filiorum habẽt rationem. Etsi qui sunt, quos solicitudo filiorum cruciat: tamen non inuigilant vt posteaquam puerilibus crepundijs renunciauerint & prouectioris ætatis facti fuerint, in

pietate

pietate diligenter instituãtur. Imo malunt suos filios mũdi vanitatibus quàm pietati deditos esse. quod vel hinc perspectum & exploratum esse poterit: quia si eos amplius Dei obsequio quàm mundi vanitatibus inclinatos viderint: hinc dolent, hinc improbè eos arguunt, nomina Lollardorum, Carthusiensium & similium eis imponentes. Si autem eos mundo renunciare & Deo se deuouere contigerit, profusis lachrymis dissoluuntur, & supra quàm dici possit tristantur. quod si procaces, superbos, elatos, sermone turpes, operibus sceleratos, mundoque per omnia seruientes perspexerint: hos diligunt, hos fouent, hos vt in mundi vanitatibus persistant, adhortãtur. nec mirũ, quoniam omne animal sibi simile diligit, vt dicitur Eccl. 13. c. Et ob id quales sunt parentes, tales filios & filias nutriunt: nec attendunt illud Eccle. 16. a. Melior est vnus timens Deum, quàm mille filij impij: & vtilius est mori sine filijs, quàm relinquere filios impios.

Proinde audiamus scripturam Eccle. 30. b. quæ valde diligenter nos admonet, ne liberos nostros negligamus. Ea enim sic habet: Nõ des puero potestatem in iuuentute, & ne despicias cogitatus illius. Curua ceruicem eius in iuuentute & tunde latera eius, dum infans est: ne forte induret & non credat tibi & erit tibi dolor animæ. Et hoc certissime fit: dum enim eos adhuc pueros negligis: adolescentes minus corrigere poteris. Sed quid fit? dum tu nõ instituis filios tuos, vt reuereantur Deum: hic non dat illis mentem, etiam si ab eis te amari & magnipendi postules, vt reuereantur te. quapropter reliquum est, si tibi in filijs recte prospectũ velis, vt eos totis ingenij viribus erudias: &, si rebelles sint, flagellis cędas. hinc Prouerb. 33. b. Noli subtrahere à puero disciplinam. Si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum: & animam eius de inferno liberabis. Sequitur:

Et factum est: post triduum inuenerunt illum,] scilicet Maria & Iosephus. quod autem Christus à suis parẽtibus inuenitur, exemplo nobis est, à quibus potissimum inueniatur. nimirum ab eis qui illum cum deuotione ex toto corde & summo cum labore quærunt. quod aperte habemus Hierem. 29. c. his verbis: Quæretis me & inuenietis: cum

quæsieri-

quæsieritis me in toto corde vestro. quod vero non nisi post triduum inuenitur, argumento nobis est, quod volẽtibus inuenire Christum non sufficiat quærere illum per integrum triduum, cum etiam post triduum continue & sine intermissione, vt inueniri possit, quæri debeat, hoc est, vniuerso hoc tempore præsenti. quid enim prodest quibusdam quod tempore quadragesimali & Paschæ Christũ quærunt, & alijs temporibus reijciunt & contẽnunt? quid etiam profuit quibusdam, quod Christum non hoc præsenti tempore, sed post hanc vitam quæsierunt? An diues epulo quærens auxilium Lazari; dum esset in inferno, exauditus est? An virgines fatuæ, dum clausa esset ianua, intromissæ sunt? An non satis animaduertis ex his & alijs scripturæ locis, quod Christus postquam nox venit, est inexorabilis? Cur itaque tamdiu expectas? Attẽde quid dicat Apostolus posterioris ad Corinth. 6. a. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Et Esaias suæ prophetiæ cap. 55. b. Quęrite dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est, scilicet hoc præsenti tempore. Præsens enim tempus est, in quo eum quærere debemus & inuenire possumus. Post hanc vitam clamantes non exaudit, sed ridet & subsannat. Sequitur:

in templo,] scilicet materiali inuenerunt illum: vt nobis significetur quod si Dei filium quærendo inuenire velimus: non spectaculorum, aut tumultuum loca, nec potorum conuenticula, sed templum, oratorium, seu locum contemplationi aptũ ingredi debeamus. idque ea de causa, vt Christum ibi quærendo inuenire possimus. nam si templum petamus (quemadmodum à quam plurimis, proh dolor, fieri indubitatum est) vt fabulis ociosis tempus inutiliter consumamus: vt nos probe comptos & exornatos alijs ostentemus: vt eis, quos turpi amore prosequimur, libidinis ardor fortius insigatur & medullitus sese insinuet: Christum ibi nunquam inueniemus. Quamobrem eo veniamus (quemadmodũ Maria & Ioseph fecere) non ob aliud quàm vt Christum ibi summa cum deuotione & ex toto corde quæramus. quod si fecerimus, dubio procul Christum ibi inueniemus.

sedentem in medio doctorum] Ecclesiasticorum & Orthodoxorum,

doxorum, non in medio hęreticorum. Nam inter hæreticos nõ Christus, sed diabolus inuenitur. hanc ob causam tam crebro ab apostolo Paulo incitamur & exstimulamur ad audiendos & legendos doctores, quos spiritussanctus vt Ecclesiam ædificent, in Ecclesia constituit: qui syncere verbum Dei, citra omnem adulterationem tractant. quia Christus in medio eorum est. A magistris vero mendacibus & satanæ Apostolis tanquam à gladio ancipiti & à facie colubri est fugiendum. hinc frustrantur illi & non inueniunt Christum, qui eum inter hos quærunt. Sequitur:

audientem illos & interrogantem eos.] hic disciplinę rectus est ordo: primò audire, deinde audita discutere & interrogare. Dominus autem audiebat & interrogabat eos, non vt aliquid ab eis disceret, cum ad amussim calluerit & ad vnguem tenuerit, quicquid vlli hominum scire licuit vnquam, & eo multo amplius. hinc Paulus ad Coloss. 2. a. In quo (nimirum Christo) sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscõditi: sed audiebat illos, vt occasionẽ eos interrogandi haberet: & interrogabat eos, vt interrogando eos erudiret. Ex eodem namque fonte doctrinæ manat & sapienter interrogare & conuenienter respõdere: seu alios respondendo erudire.

Præterea audiebat & interrogabat eos: vt suo ille facto doceret adolescentes, quid eis, quamuis sapientes & eruditi essent, cõueniret, vt audiãt potius magistros quàm docere desiderent, ne se vana ostentatione iactent.

Denique eo ipso voluit nos docere, vt ipsi quoq; alios audiamus, & posteaq̃ audierimus interrogemus: nec vnquam proprio nimium ingenio confidamus. quod si hodie multi facerent, non ita turpiter à via veritatis aberrarent. Inueniuntur enim qui audent antequam quicquam didicerint, de quouis themate disserere, quos dubium nõ est quàm sæpissime à via veritatis aberrare. Sequitur:

& interrogantem] Sed quid interrogauit? Respondeo quod de quęstionibus legis. nam Hieronymus in epistola ad Paulinum hoc modo scribit: Duodecim annos saluator impleuerat, & in templo sedens prudenter de quæstionibus legis interrogauit. Et forsan etiam de Christo, an venisset, an in proximo venturus esset. quamuis enim

à Luca Euangelista literis mandatum & conscriptum nõ sit,quid ab eis percontatus sit,quídue eos interrogauerit: Tunc tẽporis tamen frequẽtissimas existimamus fuisse de Messia quæstiones,quem in proximo affuturum fere omnis populus sibi persuasum habebat, partim ex relatu pastorum in nocte natiuitatis Domini super gregem suum vigilantium, partim ex aduẽtu regum super nato Iudæorum rege in Ierusalem interrogantium: partim denique ex testimonio Simeonis & Annę Iesum hunc Nazarenum in templo Hierosolymitano coram omnibus verum esse Messiam profitentium. Atque adeo horum omniũ rumor in apricum erupit,& in lucem venit, vt propter ea cũ primum eorum esset mentio, Herodes infantes interfecerit. Cùm igitur duodecim annis expectatus,nondum putaretur venisse, & frequens esset eius mẽtio & exprompta populo eius memoria: verisimile est etiam hanc de Messia venturo quæstionem inter Christum & doctores Hierosolymitanos fuisse tractatam. quemadmodum & Matth. 22.d. interrogat Christus: Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? non quod illi necesse fuerit ab illis sciscitari quod disceret; sed vt prudenter interrogando,eos, qui legis scientiam profitebantur & vim legis ignorabãt, doceret. Sequitur:

eos] nimirum doctores: vt sciamus, quos & audire & interrogare, ne à via veritatis aberremus, debeamus.

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICAE PRIMAE POST EPIPHANIAN DOMINI, CAPVT III.

STVPEBANT *autem omnes,*] hoc est, vehementer admirabantur omnes etiam doctissimi quique ob inauditam illius in respondẽdo sapientiam. quæ res satis probabat angelos, pastores, magos, Simeonem & Annam tanta, tamque admiranda non frustra de illo pronunciasse: & tamen quod tum tẽporis faciebat Christus,non fuisse nisi præludium quoddam, certissimum est. nondum ad

eam ætatem peruenerat, qua ſerio negocium ſuum aggrederetur. ſed ſemel perſonam ſuam & vocem, quo nobis omnibus inſinuaretur quãto deſiderio gloriam Dei & ſalutem hominum in omnibus promouendi & maturandi teneretur, exhibere in publico volebat. Tanto namq; harum rerum deſiderio tenebatur, vt quod ad has res deſtinatum erat tempus, vix expectare poſſet. quemadmodum ex nimia redimendi humanum genus cupiditate expectare non potuit, quouſque ſuus ab hoſtibus ſanguis funderetur, ſed priuſquam hoſtium adeſſet quiſquam, ipſemet in monte Oliueti ſanguinis ſui ſalutiferum emiſit cruorẽ. ſicuti iam dudum antea prædixerat, Luc. 12. Baptiſmo habeo baptizari & quomodo coarctor donec perficiatur: & iterum Luc. 22. Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum. Sequitur: .

qui eum audiebant,] ſcilicet adhuc puerum tam mature, eloquenter, & conſtanter etiam occultiſſima quæque è ſacris literis depromentem. nam quod tantillus puer dictis & reſponſis ſuis admirabilem quandam & pluſquam ſenilem ſapientiam, quam addiſcere non puderet nec pigeret prouectæ ætatis doctores, declararet & coram omnib' exhiberet, omnes in admirationem vertit. Sequitur:

ſuper prudentia] nam hi omnes nouam quandam & ſtupendam, qualem nullus vnquam hominum habuit, prudentiam audiunt à puero: cùm ea tamen antiquis & ſenibus ſolũmodo attribui ſoleat. hinc Iob 12. b. In antiquis eſt ſapientia & in multo tempore prudentia. Sequitur:

& reſponſis eius] hinc colligimus Ieſum non ſolum audiuiſſe & interrogaſſe Hieroſolymitanos doctores, verum etiam viciſſim doctores ipſos audita & animaduerſa tanta Ieſu in ſcripturis intelligentia, eum & audiuiſſe & interrogaſſe. quo factum eſt vt Ieſus ad interrogationes doctorum reſponderet conſuetudinem obſeruãs peritiſſimi magiſtri, qui nunc interrogando, nunc reſpondendo diſcipulos inſtruit. Alioqui non adiunxiſſet Euangeliſta, *& reſponſis eius*. Sequitur:

& videntes admirati ſunt] hãc textus particulam quidam duntaxat ad Mariam & Ioſephum referunt. Verum communis doctorum ſententia eſt illud debere de omnibus

intelligi, quotquot aderant. quemadmodum glossa ordinaria vtrumque sensum hic habet. Veruntamen hic quæstio est: An etiam Maria & Iosephus admirati sint? nam si sciuerint eum esse Deum, quî fit vt mirati sint? Respondeo quod mirati sunt, eo quòd tempore iuuentutis voluerit suam sapientiam hominibus ob oculos ponere atq; ostẽdere. Deinde etiam propter rei nouitatem, quia nunquam rem talem, vel similem fecerat. Sequitur:

Et dixit mater eius ad illum,] scilicet postquam disputatio cum doctoribus esset peracta. nam eum alloqui non præsumpsit quamdiu vidit eum cum doctoribus occupatum, sed disputatione completa puer Iesus matrem adesse conspiciens, venit ad eam. Tum demum illa humiliter, dulciter, summoque cum affectu, tanquam mater ait ad ipsum:

fili quid fecisti nobis sic?] quamuis enim ipsa tanta fuisset tristitia afflicta, nihil tamen ei durè locuta est. nec etiam potuisset virgineum illud, humillimum atque mitissimũ cor quicquam durum non dico loqui, sed nec cogitare. quapropter dixit: Fili quid fecisti nobis sic? An potuisset eum dulciori & mitiori modo alloqui? quid suauius quã vocari filium? Fili, inquit, quid fecisti nobis sic? hoc est, propter quid, quia sciebat filium suum (quem deũ & hominem cognoscebat) nec posse peccare, nec sine rationabili causa quippiam agere, & ob id nec sine causa Hierosolymis permanere. Dicit igitur: Fili quid fecisti nobis sic? quasi diceret: Scire cupimus & cognoscere quare nobis nesciẽtibus hic Hierosolymis permansisti? cũ tamen sciueris (vt te nihil latet) quibus doloribus & lamentis afflicti te quæsierimus. Peto fili mi, vt hoc mihi indices, vt dolor meus ex hac re conceptus valeat mitigari.

Ex quibus omnibus luce meridiana clarius est, quod Maria hæc non dixit affectu increpandi filium, quasi male id fecerit: sed quia scire cupiebat, quare illud fecisset, sciens eum absque causa, cùm esset filius Dei & sapientia summa, nihil fecisse. hinc Iob 5.a. Nihil in terra sine causa fit, scilicet à Deo. Sequitur:

Ecce pater tuus] scilicet opinione vulgi, non re ipsa. nihilominus hoc dicit Maria non secus atque si virgo non fuisset, & ex semine maritali genuisset, idque vt virgo

esset

esset abscondita. vnde cognoscitur admodum admiranda virginis Marię humilitas & modestia. Potuisset sibi, dicendo Iesum ex se natum de spiritusancto, mirabilem asscribere dignitatem: verum id præ humilitate noluit. Et quamuis re vera esset virgo, tamen id ab omnibus ignorari voluit: & Iosephum patris nomine honorare, eo quod puerum Iesum educauit, illi animus fuit. quapropter dixit virgo patrem, quem habuit socium sponsum, non carnis cognitione maritum. Sequitur:

& ego,] Etiam hic Maria ab humilitate nobis commẽdatur, dum præposuit sibi Iosephum, dicens: Pater tuus & ego. Et in hoc mulieribus omnibus honorandi viros suos exemplum reliquit, sicut scriptum est Hester primo: Cunctæ vxores tam maiorum quàm minorum deferant maritis suis honorem. Rationem reddit Apostolus ad Ephe. 5. c. Vir caput est mulieris: Verum nonnullæ, proh dolor, vel nobilitate generis, vel diuitijs si quas habent, superbientes, maritos vili pendunt, dicentes eos nõ esse dignos suo thoro: cum tamen vir quilibet origine naturę & sexus perfectione & corporis nobilitate multo dignior sit qualibet muliere. Vir enim nõ propter mulierem, sed mulier propter virum creata est. Et ob id non sic fecit Maria, non quin ipsa Iosepho dignior fuerit, sed quia non vteri sui dignitatem, sed ordinem coniugalem attendit; & ideo pater tuus & ego, inquit, quia caput mulieris vir. & quia memor erat eius quod habetur Eccle. 3. c. Quanto maior es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Sequitur:

dolentes] scilicet propter perditum tantum thesaurum nobis cęlitus missum, nobisque concreditum: nimirum filium Dei, mundi seruatorem, vnicum & verum Messiam, precium nostræ redemptionis. Dolebat quidem vterque sed multo magis sanctissima virgo Maria. vnde contemplantur hic sanctissimi quique patres quantas inquietudines atque perturbationes iam noctu pertulerit gloriosa virgo Maria: & quantis afflicta doloribus, quàm multis conspersa lachrymis discurrerit vndique amaritudine maxima cõcepta, quod filium nec apud Iosephum, nec apud cognatorum quemquã inuenisset: adeo vt gladius Simeo-

 nis tunc

nis tunc pertransiuerit pręcordia eius. Atque sic Dominus cum suis electioribus agit amicis, vt eos in hac vita duriùs premat & crucem eis multiplicem hic imponat, gaudia illis non præsentis sed futuræ vitæ largiturus.

Sed quare, o Maria virgo sanctissima ita tristabaris propter perditionem filij, quem tamẽ verum Deum, qui perdi non posset, credebas? quare o Domina mea dolebas? Credo non famem, non sitim, non inediam puero, quem Deum noueras, timebas: sed tãtum subtractas tibi ad modicum ineffabiles præsentię eius delitias querebaris. Tam enim dulcis est dominus Iesus gustantibus eum, tam speciosus videntibus eum, tam iucundus audientibus eum, tantæ voluptatis corde tangentibus eum, vt breuis eius absentia maxima doloris materia sit. Dolebat igitur Maria quia præsentia eius carebat, qui ei maximum per virtutem Deitatis, quę relucebat in facie eius, adferebat gaudium. nam (vt dicitur Psal. 44.) Erat speciosus forma prę filijs hominum. non dubium itaque est, quin quemadmodum patres veteris Testamenti clamabant, Psal. 79. dicentes: Ostende nobis faciem tuam & salui erimus, ita quoque Maria sępius repetiuerit illud Cantic. 2. d. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis & facies tua decora.

Vnde discimus vt similiter doleamus, quando eũ amisimus. nam vt dicitur Hierem. 2. d. Malum & amarum est reliquisse te dominum Deum tuum & non esse timorem eius apud te, dicit dominus Deus exercituum. quicunque enim dominum Deum amiserunt, hoc ipso summum bonum amiserunt. quàm autem malum & amarum sit summi boni iacturam fecisse, non est quod multis prosequamur & explicemus verbis: cùm omnes merito tales esse deberemus, qui potius omnium aliarum rerum iacturam sustinere quàm summi boni gauderemus. Verum vsque adeo, proh dolor, & impij sumus & beluini, vsque adeo immemores salutis nostræ & eorum quæ ad hanc requiruntur, vt longe maiori cura & sollicitudine afficiamur ne comburatur domus, ne equus nobis pereat, aut vacca, aut etiam vilioris precij res, quàm ne Christum aut gratiam Dei amittamus. An non hoc signum est modicæ fidei? An

dei? An non hoc euidens argumentum eſt, nos rem tantã, aut nondum ſatis aſſequi aut male perpendere? nam ſi hoc faceremus & hanc rem diligentius examinaremus: temporalibus iſtis & iniquis bonis ſalutẽ animæ non poſthaberemus. Quid enim Chriſto teſte Matth. 16.d. Prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? ſiquidem anima nihil precioſius. vnde totus mundus propter perditionem vnius animæ meritò dolere deberet. Sequitur:

quærebamus te] hinc diſcant omnes, qui perdiderũt dominum, quibus modis eum rurſus quærere debeant, exemplo nimirum Marię & Ioſephi, qui dominum quęſierunt, dolentes quod eum amiſerant, vt & ipſi, ſi quando noſtris peruerſis cogitationibus, & prauis operibus eum amiſerimus, rurſus eum quæramus; dolentes nos eum ob noſtra amiſiſſe peccata. Alioqui ſi nos noſtrorum non pœniteat peccatorum, quibus eum offendimus, ſed potius in eiſdẽ permanere gaudemus, inutiliter, imo fruſtra Dominum quæremus, nec vnquam eum inueniemus. qui autẽ Chriſtum quærunt cum dolore, inuenient eum in lætitia: iuxta illud Pſal. 104.a. Lætetur cor quærentium Dominum.

De moribus habes: nunc de doctrina reliquum eſt vt dicamus. Rogo igitur qua de cauſa Maria virgo vtique ſanctiſſima & Ioſeph inſignis patriarcha puerum Ieſum quærebãt? an quia ſuſpicabatur perditum illum à via aberrare? & vagabundum huc illúcue diſcurrere? nequaquam. ſiquidem Maria eius mater ab angelo audierat: Ecce concipies in vtero & paries filium & vocabis nomen eius Ieſum. Hic erit magnus & filius Altiſſimi vocabitur. Ioſeph quoque angelica oracula acceperat: quod in ea natum eſt, de ſpirituſancto eſt. Si igitur Deũ eum eſſe credebant (quemadmodum vere faciebant) neceſſarium nõ eſſe cognoſcebant, vt quaſi aberraret à via, quaſi vagabundus huc illúcue diſcurreret, quęreretur. ſiquidem puer Ieſus, vbi eſſet ſciebat, nec alicubi peribat. quare igitur illũ quærebant? ne quo pacto ab illis abijſſet, ne forte reliquiſſet illos. Maria enim ex humilitate ſe indignam arbitrabatur, cui Ieſus in poſterum adeſſet atque cohabitaret.

quia non tantam se diligentiam adhibuisse, quantam adhibere debebat ad custodiendum tam preciosum thesaurum sibi persuadebat. Sequitur:

Et ait ad illos, quid est quod me quærebatis?] Istud primũ est verbum quod ab ore nostri Seruatoris prolatum esse legitur. nec commodius alibi quàm in templo primũ in hominum conspectum venire, verbaque salutis efferre, atq; opus suum auspicari potuit: nec quicquam fuit vnde iustius ordiretur quã à verbo & negotio Dei. Propter quod non modo patriam suam, verum etiam matrem deseruit. Verum iam primum ipsum nostri Seruatoris eloquiũ excutiamus operæprecium est. Dicit itaque ad illos, quid est quod me quærebatis? scilicet ob id quod à vobis recesseram, vosque reliqueram, quũ etiam si omnino recessissem à vobis & vos plane reliquissem: modo hoc exigeret gloria Dei patris, non dolere, nec quętere, sed gaudere potius deberetis. quandoquidem non vt arbitramini, reliqui vos vt me à vobis absentem & alienum reddam & quasi indignos habeam, quibuscum cõuerser, sed vt ea quæ sunt patris mei cælestis negocia tractem. hinc sequitur:

nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse?] hęc quidem pauca sunt verba, sed quæ pondus habent maximum. quasi dicat: quamuis vos mirum in modum diligam, & honorare & obedire percupiam: tamen quia propter nullam creaturam quantopere dilectam, intermittẽda aut negligenda sunt Dei pręcepta: ideo nec propter vos quamuis parentes, illa relinquere volui. Vt discant omnes Deum & parentes diligere, honorare, eisque obedire: sed in omnibus Deum pręferre & spiritualia pluris quàm hęc corporalia facere, iuxta illud Acto. 5. f. Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Quamuis igitur Christus certissime præsciret matrem suam vnice à se dilectam mira sollicitudine ob sui absentiam excruciandam: tamen ob hoc se abstrahi à peragendis Dei mandatis non sinebat: quo doceret omnes nos nihil esse in rerũ natura tam præclarum, tam præstans, propter quod Dei præcepta intermittenda aut negligenda sint; nihilque debere nobis esse tam charum quod non ob amorem Dei relinquere & cõtemnere si opus sit, debeamus. Si enim ea quæ Dei sunt nulla

nulla ratione ob virginem matrem (qua tamẽ nulla creatura præstantior est) omitti & negligi debeant: ergo nec propter carnales parentes, patrem, matrem, cognatos aut amicos ea deseri aut derelinqui debẽt. vnde cognoscim⁹ omnes, quanta sollicitudine, industria, & animi feruore, ea quæ à Deo nobis demandantur, exequi & peragere debeamus. Etenim qui bona & facultates, corpus & amicos suos plus amat & suspicit quàm Deum eiusque voluntatem: is neque Deo neque Christo dignus est. hinc Matth. 10. Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam super me non est me dignus: vnde iubemur primum quærere regnum Dei & iustitiam eius, quo facto necessaria omnia adijcientur nobis.

Quia igitur ita parentibus præ ceteris omnibus obedire & complacere debemus, vt tamen summum parentem Deum præferamus: Ideo filius (cuius præsentiam ad vitam transigendam parentes necessariam non habent) potest, iudicio discretionis comite, ad religionem & statum perfectionis etiam ipsis nescientibus aut nolentibus euolare, seque diuino cultui mancipare. Et si parentes impedire cupiant, licite respondebit illis: quid est quod me quæritis vobis adesse in seculo? nescitis quoniam in his quæ patris mei sunt, oportet me esse? Dominus quoque ipse Matth. 19.b. impeditoribus dicit: Sinite paruulos venire ad me. Talium est enim regnum cælorum. Quapropter vos parentes ita filiorum obedientiam & solatia quærite, vt tamen eos à Dei obsequijs non retardetis nec abstrahatis. *Nota.* hæc autem verba vt ex præmissis manifestum est, dicit Christus non vt suos obiurgaret parentes sed duntaxat vt pectora eorum & corda in altum extolleret & eo eleuaret, vt cogitarent plus se Deo patri debere quàm ei quæ corporis, humanitatis & infirmitatis, quam suscepit propter nos, mater est.

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICAE PRIMAE POST EPIPHANIAM DOMINI, CAPVT IIII.

ET IPSI *non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos*] hoc eſt,non ſatis intellexerũt quęnam eſſent illa, quæ Chriſtus nomine patris ſui expedire debebat : tũ quia de ſua loquebatur diuinitate,de qua audire conſueti non erant : tum quia ex vehementi rei admiratione ita obſtupeſcebant vt verba eius conſiderare non valuerint : tum denique quia adeo vehementer de eius inuentione gauiſi erant,vt mente non perceperint verba eius.

Ceterum hinc manifeſtum eſt mentiri hæreticos, qui dicunt ſcripturam apertam & cuiuis peruiam. nam ſi Maria & Ioſephus,qui erant pleni ſpirituſancto, verba Chriſti adhuc pueri non intellexerunt : hæretici omnis diuini ſpiritus vacui ſtatim ſermones Chriſti in ſua perfectione intelligent? non pudeat igitur eos, ſi quando à via veritatis aberrauerint,ingenuè ſuam ipſorum fateri ignorantiã. nam ſi Maria & Ioſephus ex humilitate, ſe verbum quod locutus eſt ad eos non intellexiſſe, confeſſi ſint : quare nõ & ipſi ſimiliter,cùm à via veritatis aberrauerint ſe,eam nõ intellexiſſe ex humilitate confitebuntur? Sequitur:

Et deſcendit cum eis & venit Nazareth.] Antea quaſi filius Dei in templo commorabatur : Iam vero vt filius hominis cum parentibus quo iubẽt,ſtatim regreditur.Sic enim fieri oportet, vt primum Deo,deinde parentibus & prępoſitis noſtris obediamus.Sequitur:

Et erat ſubditus illis] nimirum Deus hominibus, magnus paruis,potens infirmis.Audiant hoc ſubditi,& ſubditi eſſe non dedignentur. ſiquidem omnibus prælatus , ſubditus fieri non eſt dedignatus. Erubeſcant igitur Idiotæ aduerſus Epiſcopos ſuos & patres ſpirituales rebellantes,quum Ieſus maior obſecundauerit minoribus,Deus hominibus. Erubeſcant ſuperbi ſuis ſuperioribus non obtemperantes, quorum ſuperbia hic cõfunditur, quorum rebellio damnatur, quum Dominus vniuerſorum non ſolum pauperi matri , ſed & fabro obediuerit lignario . non enim dixit

Euange-

Euangelista: Erat subditus matri, aut, erat subditus ei: sed erat, inquit, subditus illis. quibus? nónne parentibus, & tam Iosepho quàm Mariæ? dubio procul. Erubescant igitur & pueri omnes & adolescentes qui monita negligunt parentum ad virtutes extimulantium, quum Iesus ad tempus patris cælestis reliquerit negociũ vt obediret non solum matri; verum etiam putatiuo patri. Et ne quam præberet speciem filij immorigeri, omnia quę filij debent parentibus, impendebat eis obsequia: nec secus suum putatiuum patrem, quàm si ipsius secundum carnem pater extitisset, venerabatur, eique obediebat, non ex infirmitate aut necessitate, sed pietate. nam legi de honoratione parentum conscriptæ non erat astrictus, nec de necessitate præcepti subiectus: sed supra legem à Deo patre constitutus non solum secundum diuinitatem, verum etiam secundum humanitatem vt à verbo æterno assumptam & toti creaturæ pręlatam. nihilominus parentibus subiectus esse voluit, quo pueris omnibus formam & exemplum exhiberet quanto studio, quantaque reuerentia suis debeant similiter obsequi parẽtibus. Quapropter discant hic pueri omnes & adolescentes non modo honorare parẽtes & seniores: sed illis etiam parere & obedire cum omni subiectione & reuerentia. Rursus discant hic superiores nõ superbire, cùm nonnunquam accidat, vt ille, qui subiectus est, & maior sit & melior eo, qui sibi videtur esse præpositus. quàm facillime enim animaduerti potest in Iesu subdito & Iosepho prælato, sæpe fieri vt maioris meriti sit subditus quàm prælatus. Ecce Ioseph habet subditum, quem omnium rerum vniuersitas habet dominum. quód cùm intellexerit dignitate sublimior, non eleuabitur superbia ex eo, quód maior est, sciẽs sibi meliores esse subiectos, quomodo & Iesus Iosepho erat subditus. Sequitur:

Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo.] Animaduerte hic, qualiter prudentissima virgo scholaris & discipula Christi adhuc pueri facta sit: & quomodo ei nihil magis fuerit cordi, quàm vt Deo vacaret. Conseruabat igitur omnia verba hæc in corde suo: & non in vestimentis tantum, vt Pharisæi: nec in libris tantum, vt qui alios docent & seipsos non docent: nec in ore tantum, vt qui dicunt &

cunt & non faciunt: ſed in corde illa conſeruauit, hoc eſt, in memoria ſine obliuione, non ſinens illa volucres cæli tollere. Ita beatiſſima virgo etiam tunc nobis miſericorditer prouidebat, ne tam dulcia, tam ſalubria aliqua negligentia laberentur, ſed potius ſcriberentur, & prædicarentur: ne ſequaces Chriſti, huius ſpiritualis mannæ delitijs fraudarentur. quapropter ſanctiſſimus Euágeliſta Lucas, quæ nobis hic conſcripta reliquit, ab hac beatiſſima virgine, cui perfamiliaris fuiſſe prædicatur, didicit: Vt enim alios prudentiſſima hæc virgo doceret, ideo omnia verba hæc fideli memoria conſeruabat: meditatione ruminabat: & hæc cum ceteris, quæ de eo audierat & viderat, conferebat: verecunde tacebat: oportune prodebat: & ſanctis apoſtolis & diſcipulis prædicanda committebat: nobis exemplum exhibens verba ſimul & facta Chriſti aſſidue in corde noſtro conſeruandi, firmiterque retinendi, non ſic obiter, vt vix vna audita aure per alteram euolent, quod & ſtultis, ijſque quorum aures rimarum plenæ hac atque illac perfluunt, contingit.

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICÆ SECVNDÆ, POST EPIPHANIAM DOMINI,

CAPVT PRIMVM.

Euangelium Ioannis ſecundo a.

IN ILLO *tempore, nuptiæ factæ ſunt in cana Galilææ,*] nimirum anno trigeſimo primo ætatis Chriſti: idque eodem die, quo fuit à Ioanne baptizatus & à Magis adoratus, annis tamen diuerſis. Chriſtus enim tredecim iam dies natus, adoratus eſt à Magis: deinde poſt annos triginta baptizatus. iuxta illud Luc. 3. Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta. Cumque annorum eſſet triginta vnius, cum diſcipulis ſuis & matre ſua benedicta hic fuit in nuptijs, atque ex aqua fecit vinum. nam catholi-

catholica firmiter credit Ecclesia tria illa maxime insignia & memorabilia facta vno die, licet annis diuersis, cõtigisse. sicut & in hodierna canit Antiphona. Tribus miraculis ornatum sanctum diem colimus: hodie stella magos duxit ad præsepium: hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias: hodie à Ioanne Christus baptizari voluit, vt saluaret nos. Sequitur:

nuptiæ factæ sunt] has non fuisse Ioannis Euangelistæ nuptias vel ex eo manifestum est, quòd Ioannes Euangelista nunquam vxorem duxit, vt testatur beatus Augustinus circa finem expositionis Euangelij secundum Ioannem. nam ibi sic habet: Sunt qui senserint & hi quidẽ non contemptibiles sacri eloquij tractatores, à Christo Ioannem apostolum propterea plus amatum, quòd neque vxorem duxerit & ab ineunte pueritia castissimus vixerit. hoc quidem in scripturis Canonicis non euidenter apparet, veruntamen id quoque multum adiuuat congruentiam huiusce sententiæ, quod illa vita per eum significata est, vbi non erunt nuptiæ. hæc Augustinus:

Obijcies fortassis, quod Hieronymus in prologo super Ioannem, dicere videtur has Ioannis Euãgelistæ fuisse nuptias. sic enim habet: Hic est Ioãnes Euãgelista vnus ex discipulis Domini, qui virgo à Deo electus est, quẽ de nuptijs volentem nubere vocauit Deus. Respondeo, quod si istæ, de quibus hic in Euangelio fit mentio, fuissent Ioãnis nuptiæ, Ioannes non solum nubere, sibique vxorẽ expetere voluisset, verum etiam vxorem duxisset. Iam autem Hieronymus dixit: Duntaxat eum voluisse nubere, non etiam nupsisse. vnde constat sanctum Hieronymum de quibus in hoc Euãgelio fit mentio, nõ loqui de nuptijs. Si rursus obijcias quod beatus Augustinus habet in prologo super Ioannem: Iste est Ioannes quem Dominus de fluctiuaga nuptiarum tempestate vocauit, & cui matrem virginem virgini commendauit; dico Christum vocasse Ioannem à nuptijs non vtique celebratis, quarum hic in Euangelio fit mentio: (nam Ioannes nunquam vxorem duxit:) sed de nuptijs celebrandis nisi Ioannes ad notitiam Christi & prædicationem eius deuenisset. quod si verum est, sicut equidem non dubito, fieri non poterit, vt mihi persuadeas

ſuadeas Ioannem Euangeliſtam in his fuiſſe ſponſum nuptijs, quas Dominus (vt aiunt) probare venerat. nam ſi eas Chriſtus diremiſſet,& ſponſum à matrimonij ſtatu abſtraxiſſet,veniſſe ad nuptias viſus eſſet,non vt eas ſua prę-ſentia decoraret ſed vt eum ſtatum & vituperio afficeret & hominibus odioſum redderet. Sequitur:

in cana Galilææ] Hieronymus duas teſtatur fuiſſe canas, maiorem iuxta Sidonem : minorem in tribu Aſer in Galilæa gentium.Et ob id ad differentiam alterius canæ adiectũ eſt Galilææ. Celebratæ ſunt igitur hæ nuptiæ in cana Galilæę gentium in tribu Aſer ſita.Sequitur:

Et erat mater Ieſu ibi.] Si mater Ieſu illa fuit,carnẽ etiam ab ea veram habuit & ſanguinẽ. quare male aſſerunt Manichæi Chriſtum nec verum corpus, nec verum habuiſſe ſanguinem.Ceterum multæ celebrãtur nuptiæ, in quibus Mariæ cum Ieſu & diſcipulis eius nullus relinquitur locus. nam ſi diligenter initium & progreſſum cõiugiorum huius ſeculi attendamus, vix centeſima inceptari in timore Domini inueniemus. quid igitur ibi faceret Chriſtus vbi nihil Chriſtianè agitur? An fieri poteſt vt aliqua ſit luci cum tenebris communicatio? Chriſto ad Belial cõuentio? nequaquam. quapropter ſi velis Mariam cum Ieſu & diſcipulis in tuis nuptijs præſentem, huc animum adiungas tuum,vt connubij fœdus cum timore Domini ineas. Id quod fiet,ſi non luxurię cauſa,quemadmodum animalia bruta : ſed principaliter ob procreationem prolis tibi vxorem expetas,atque ad eãdem tuum animum adijcias. Propterea enim, coniugium inter primos parentes inſtituit Deus, vnde & dixit Gene.1.d.Creſcite & multiplicamini & replete terram. hinc dixit & Iunior Thobias, Thob.8.b.Et nunc Domine tu ſcis quia non luxuriæ cauſa accipio ſororem meam coniugem, ſed ſola poſteritatis dilectione,in qua benedicatur nomen tuum in ſecula ſeculorum.

Sed dices,Si ob procreationem probis ducẽda ſit vxor: peccant igitur vetulæ dum nubunt viris,quæ ad procreationem prolis ſunt inhabiles. Reſpondeo non ſolum bene inchoari matrimonia propter prolis procreationẽ, verum etiam ad vitandam fornicationem. vnde Apoſtolus

prioris

prioris ad Corinth.7.a. Sic habet: Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat & vnaquæque suum virum. Vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro: mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem nō habet, sed mulier. nolite fraudare inuicem, nisi forte ex cō-sensu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Sunt & aliæ causæ honestæ, vt inimicorum recō-ciliatio & pacis redintegratio, propter quas bene principium faciūt matrimonia. Si igitur his ex causis exordium sumant, procul dubio aderit mater Iesu & Iesus ipse cum discipulis suis in nuptijs. nec solum aderit, verum etiam cum matre sua benedicta apud huiusmodi coniugatos perseueraturus est quandiu coniunctos esse cōtigerit; modo tamen in matrimonij statu sequantur consilium beati Pauli apostoli ad Ephe. 5.e. Vbi sic habet: Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino. quoniā vir caput est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesiæ. Et post pauca: Viri diligite vxores vestras sicut & Christus dilexit Ecclesiā & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugā, aut aliquid huiusmodi: sed vt sit sancta & immaculata. Ita & viri debent diligere vxores suas vt corpora sua. qui suā vxorem diligit, seipsum diligit. nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam sicut & Christus Ecclesiam. Denique post pauca: Vxor autem timeat virum suum. quæ si fecerint coniugati, bene omnia cedent. quia autem Euangelista noster Ioannes hic non meminit ipsius Ioseph: idcirco doctores colligunt eum iam mortuum fuisse & virginem in custodiam filij transisse. siquidem absque eo, si vixisset, Maria ad nuptias non venisset. Sequitur:

Vocatus est autem & Iesus,] hic dicitur ad nuptias vocatū esse Iesum: sed an venerit scire desidero. Verum de ea re nulla est quæstio. Certissimum enim est ex contextu Euā-gelij Christum non solum ad nuptias vocatum fuisse, verum etiam ad eas venisse, eisque adfuisse: atque adeo nu-

ptiale

ptiale conuiuium prodigioso munere honestasse & miraculorum primitijs consecrasse. quod autem homo cælestis de virgine natus, terrenis & carnalibus nuptijs interesse non renuit inuitatus, profecto humilitatis dignatio est. quod verò aquam mutauit in vinum, non illud tenue sed nobilissimum, certe post humilitatem consequens est gloria semper noua, semper eadem admiratione prædicanda.

Quotiescunque autem legimus dominum vel ad nuptias, vel ad conuiuium vocatum venisse, non gulæ desiderijs deputabimus, sicut faciebant scribæ & pharisæi, qui dicebant eum vini potorem & amicum publicanorum: sed pro lucrãdis animabus eum venisse credere debemus. quemadmodum enim doctus piscator & peritus venator in eo loco retia tẽdit, vbi multitudinem piscium vel auiũ nouit conuenire, vt quando multæ congregantur, saltem aliquæ capiantur: Ita Dominus ad conuiuium vel ad nuptias venire voluit, vt vbi multi conueniebant, reti miraculorum eius & prędicationis vel aliqui caperentur, & ad fidem perducerentur. Hanc ob causam inuitatus à Pharisæo in domo eius discubuisse legitur: & nunc vocatus ad nuptias non solum venisse, sed etiã eas suo miraculo consecrasse memoratur. nimirum vt gloriam diuinitatis suæ in miraculo quod fecit, ostenderet: vt illi qui ad nuptias vocati erant sui discipuli, in eum crederent.

Alias præterea rationes, easque varias assignant doctores, ob quas Christus ad nuptias illas venit. Imprimis vt generationis nostræ exordium sanctificaret: deinde vt Tatiani, aliorumque cõfutaret errores hæreticorum. Nouerat enim iam tunc venturos quosdam qui parum honestas nuptias; nec satis bonum iudicarent esse matrimonij statum. hinc & Paulus habet prioris ad Timoth. 4. Spiritus manifeste dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendaciũ & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibẽtium nubere. Venisse etiam illos deinceps testatus est beatus Augustinus scribens de Tatianis & Adamitis. Tertullianus quoque aduersus Marcionem. Vt igitur Christus

horum

horum errores refelleret, inuitatus ad nuptias, venire dignatus est.

Ceterum quemadmodum tunc quidam vituperabant statum coniugalem : Ita quoque nunc quidam alij illicitum esse dicunt statum virginalem, voluntque omnes virgines, imo & moniales viris nubere. quo quid absurdius? quid delirum magis? nónne Paulus prioris ad Corinth. 7. g. Virginitatem matrimoniali statui apertissime præfert? Dubio procul. Sic enim habet : Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit; & qui nō iungit, melius facit. hoc autem Apostolus ostendit ex vtriusque status fine. Finis virginitatis est cogitare ea, quæ Dei sunt, quomodo placeamus Deo. Finis autē coniugij est corporaliter multiplicare genus humanum. quod fieri non potest sine magna solicitudine cogitandi ea, quæ mundi sunt. sicuti & Paulus ibidem asserit dicens: Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu. quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi: quomodo placeat viro & diuisa est. Cum igitur multo melius sit nos circa ea, quæ Domini sunt, esse solicitos, quàm cogitare ea quæ mundi sunt: constat procul dubio statum virginalem coniugali longe esse præstantiorem. Facessant igitur isthæc tam absurda, & sanioribus imo certissimis Pauli verbis fidem adhibeamus.

Verum vt regrediamur vnde digressi sumus, Christus inuitatus ad nuptias venit, vt quemadmodum dictum est hæreticos prohibentes nubere argueret, & vt sua præsentia statum coniugalem confirmaret, tanquam bonum & bene placitum Deo. quid enim magis consolatorium tibi esse potest quàm scire statum tuum Deo placere? hoc vel solum omnes matrimonij molestias, quas habet plurimas, mitigare posset. quod autem Christus etiam miraculum & quidem primum in nuptijs fecit, eo ipso docet se pro coniugibus sollicitum futurum & satis eis se bonorum largiturum, modo in Domino contrahant & suę vocationi diligenter inseruiant. Scriptum est enim Prouerb. 10. Benedictio Domini diuites facit.

Denique inuitatus ad nuptias venit Iesus, vt nuptialia approbaret cōuiuia. nisi enim Iesus venisset ad nuptias &

aquam vertiſſet in vinum ad maiorem hoſpitum exhilarationem, quis ſanctus nuptialia conuiuia non reprehenderet? Vnde huiuſmodi doctrina à ſanctis colligitur doctoribus & honeſtū eſſe & laudabile (modo abſit ebrietas & ſumptus nimis magnus) amicos vicinosq́; inuitare ad nuptias. Conuiuas etiā excipere nonnunquā & cum eis lætari. nam hoc ſi malū fuiſſet, Chriſtus quamuis ad nuptias inuitatus, eo non veniſſet. Iam aūt non ſolum venit, verum etiam in effuſiorem hoſpitum lætitiam aquā vertit in vinum. Vinum, inquam, nō fugiens aut vappidum, ſed optimum atq; nobiliſſimum, vt doceret honeſta gaudia, lætitiamq́ue competentem in nuptialibus conuiuijs non eſſe prohibita. quare & prius illud ſemper à pijs hominibus obſeruatum eſt. hinc Raguel in nuptijs Tobiæ duas pingues vaccas & quatuor arietes occidi fecit, & omnibus vicinis ſuis, cunctisq́; amicis epulas parari curauit. Tobiæ primo: Tobias quoque à longe ex ciuitate Rages ad nuptias ſuas inuitauit Gabelem, qui & venit cum angelo Raphaële. Sed & Laban magnam amicorum turbam ad nuptias inuitauit patriarchæ Iacob. quid quod Aſſuerus etiam rex ad nuptias Heſter grande fecit cunctis principibus & pueris ſuis conuiuium? Sequitur:

& diſcipuli eius,] non vtique futuri, vt quidam aſſerunt; ſed iam ad diſcipulatum vocati. manifeſtū enim eſt Ioan. 1: Andream, Simonem Petrum, & Philippum aſſumptos fuiſſe à Chriſto in diſcipulos, eosq́ue Chriſtum fuiſſe ſequutos, antequam hæ in cana Galilææ celebrarentur nuptiæ. nam vocatione diſcipulorum facta Ioan. 1. demum cap. 2. hæ nuptiæ narrantur celebratæ. quod autē Ioan. 1. Apoſtoli ſint vocati, aperte teſtatur Chryſoſtomus in opere perfecto ſuper Matthæum homilia 14 circa illa verba textus: Et ambulans iuxta mare Galilææ, vidit Simonem, qui dicitur Petrus, & Andream fratrem eius mittentes retia in mare, &c. ſic dicens: Et Ioannes quidem aliter dixit eos vocatos: vnde manifeſtum eſt ſecundam hanc vocationem fuiſſe, idq́ue multis ex cauſis ibi oſtendit. Theophylactus ne latum quidem vnguem à ſententia Chryſoſtomi recedit, dum in illo Matthæi loco: venite poſt me: faciam vos fieri piſcatores hominum, ſic dicit: Vnde manifeſtum

nifeftum eft,quod hæc fecúda vocatio fit. Antea enim do- cti erant à Chrifto,deinde reliquerunt eum,nunc aūt ipfo vifo ftatim fecuti funt eū. Auguftinus aūt quamuis lib.2. de confenfu Euangeliftarum cap. 17. vnicam fuiffe apoftolorum vocationem fentire videatur: tamen eius hac de re fententia plerifque doctoribus non probatur. Sequitur:

ad nuptias.] ex hoc loco videmus etiam veteres quadam folemnitate,& fub pluribus teftibus celebraffe nuptias, & inchoaffe matrimonia. Raro enim bonum clandeftina matrimonia fortiuntur exitum.

CAPVT SECVNDVM.

ET *deficiente vino,*] non fine emphafi dicitur: Deficiente vino quafi vinum ad nuptias res neceffaria fit, potiffimum in illis locis vbi ceruifia defideratur.

Ceterum his fignificatur eos quorū erat nuptiarū fumptus & impēfam facere,admodum fuiffe pauperes vt quibus medijs in nuptijs nemine id præcogitante defecit vinum. Et tamen Chriftus ad eos venire, quo faceret femētem Euangelij,non eft dedignatus, nullo modo menfam etiam pauperum contemnens: vt hinc & nos difceremus amicos vicinofque pauperes nō defpicere,nec ideo eos,ꝙ pauperes funt,contēnere. Elegit enim & ipfe Deus pauperes in hoc mundo, diuites in fide,& hæredes regni. hinc Pfalmifta, Pfal.73. Pauper & inops laudabunt nomē tuū.

Dicitur autem defeciffe vinum nō quod plane exhauftum effet, fed quod parum admodum fuperfuerit vini. Propter quod Maria folicita & fponfo & fponfæ condolēs defectum vini priufquam vinum omnino deeffet, indicauit Chrifto. Veruntamen dices fortaffis & afferere conaberis ex dictis Mariæ nihil adfuiffe vini, quia Maria fubdit abfolute dicens: Vinum nō habent. Dico hoc quidem verum effe, fed tamē oportet aduertere confuetū loquendi modum,etiam hoc tempore vfitatum, quo dicimus nō effe vinum, quando poftremum vinum ad menfam delatum eft, etiam fi menfa vino adhuc fit repleta vt tempori de alio vino prouideatur. Eodem modo & hic contigiffe vel ex eo manifeftū effe poteft: quia fi nihil fuiffet in menfa vini,nec petentibus dari potuiffet: defectus vini omnibus conftitiffet. Iam vero indubitatum nobis eft ex inter-

pretatione Chryſoſtomi & aliorum quorundam docto-rum nondum omnibus exploratum, compertumq́ue fuiſſe hoſpitibus hunc vini defectum. quod & ſequentia Dñi ſeruatoris verba ſatis declarant: quum dicit, nõdum venit hora mea, hoc eſt, tempus miraculo congruum. quia nõdum omnes cognitum habent hunc vini defectum.

Deinde nec fortuitu nec caſu accidiſſe putandum eſt, vt Domino veniente ad nuptias vinum deficeret, ſed ideo vt occaſio miraculi fieret. Defectionem igitur vini præmittit, ceu occaſionem ſequentis miraculi: vt dum aquas in vinum conuerteret, Deus, qui in homine latebat, appareret. vt non filius Ioſephi ſed Dei & Mariæ virginis crederetur; Ipſe videlicet qui educit panem de terra & vino lætificat cor hominis. Vnde intelligens ſanctiſſima virgo iam tempus adeſſe perfectæ ætatis, quo per miracula ſeipſum oſtenderet mundi dominum, dicit ad filium vinum non habent. hinc ſequitur:

dicit mater Ieſu ad eum: vinum non habent.] hoc autem Maria non dixit Chriſto velut ignaro: quoniam & ipſa inſcia non erat illum nihil latere: ſed vt ex compaſſione, qua ſponſo & ſponſæ cõdolebat, filij ſui, qua omnia quæcunque voluit facere fecit, imploraret poteſtatem, vt per eam ex aqua vinum conficeret, totalem vini penuriam præueniret, & ſuperuenturæ confuſioni obuiaret. quapropter Maria hoc filio dixit eo animo vt per miraculum ſponſo & ſponſæ ſubueniret. quod tamen mirum alicui videri poſſet, quoniam hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galileę. Cum igitur nullum ab eo antea fieri miraculum viderit, vnde matri aliquid magni cogitare de filio in mentem venire potuit? Reſpondeo quod quamuis beata virgo nullum adhuc à filio fieri vidiſſet ſignum, tamen quia iam tempus faciendi miracula adeſſe ſciebat, hoc verbo filium ad faciẽdum miraculum prouocare volebat. Siquidem & Ioannis teſtimonio & ex his quæ diſcipulis prędixerat, manifeſtari iam cœperat. Filium quoque hæc maxima poſſe minime dubitauit. nam angeli verbũ diligenter retinuerat quod filius ſuus in natura filius Dei eſſet. quamobrem illi forent omnia poſſibilia. Audiebat enim omnia de puero & conſeruabat ea in corde ſuo.

Verum quamuis Maria miraculum fieri voluerit: tamen eius mentionem non fecit: sic vt audacter coram omnibus diceret, Da eis vinum, ostende quid possis. sed breuiter & reuerenter suggessit, dicens: Vinum non habēt, ei determinandum quibus modis consulendum foret cōuiuis, relinquēs. quo quid modestius? quid fidelius? quid verecundius? non defuit pietati fides, voci grauitas, efficacia voto. hinc liquet qua dignitate Christū coluerit Maria, dum nihil ei imperauit, nihilque eum facere iussit: sed indicata & ostēsa necessitate rem totam illius reliquit sapientiæ, omnipotentiæ, & charitati, vt reuerentiam filio seruaret. Sic Martha & Maria ad Christum miserunt, dicentes: Domine ecce quem amas infirmatur; satis ratæ amico calamitatem insinuasse.

Discant hinc virgines & mulieres à loquacitate cohibere linguas suas & non nisi necessaria loqui. Turpe est mulieribus in conuentu garrulitati indulgere, verbis obstrepere, quicquid in buccam venit effutire. quicquid in animum incidit effundere. Pudoris insigne in virgine & muliere taciturnitas est. Ornamentum grande paucitas verborum, eorumque vtilium.

Verum iam ad institutum reuertamur. Dixit itaq; mater Iesu ad eum. vinum non habent: idque ex maxima compassione, qua condolebat amicis, quorum res agebatur in nuptijs, ne forte defectus ille vini in eorum redundaret ignominiam, quasi parum liberaliter apparassent nuptias. quamobrem vere o Maria miserationis & pietatis induisti viscera: & ea pietas, quæ ad omnia vtilis est, promissionem vitæ quæ nunc est habens & futuræ, te totam repleuit, totam tui iuris se fecit, totam se tuo obsequio vendicauit. quid igitur mirum si pietatem exhibent viscera pietatis? si de fonte pietatis procedat pietas? nec ea sola hinc ab illa promanasse conuincitur, verum etiam benignitas, bonitas, dulcedo, clementia & omnium charismatum fons & radix charitas in hoc eius aduocationis opere, certo certius deprehenditur. quis igitur o Maria tuæ benignitatis diuitias etiam si linguis hominum, angelorumque loquatur, explicare queat? quapropter discant hic à Maria omnes Christiani moueri misericordia

erga pauperes coniuges, illorumque non vulgatem habere rationem. Discant omnes, qui huius mundi substantiam habẽt, cum viderint proximos suos egere, non claudere viscera sua ab eis nec diligere solo verbo & lingua, sed opere magis & veritate & cum Christo, quæ necessaria sunt, eis dare. Multi enim paupertate compulsi faciunt: quod si vnde viuerent, haberent, ne sonniarẽt quidem. Discant hic à Maria qui animos diuitum & potestate præditorum sibi conciliarunt, quomodo pro pauperibus & egenis, quomodo pro oppressis & grauatis rogare & interpellare debeant & teneantur.

Si autem Maria tantam gessit solicitudinem & curam non rogata: quid igitur est factura si nostris fuerit precibus pulsata? Si tantum præstitit in terris adhuc consistens: quid igitur præstabit iam in cælo apud filium residens & viscera misericordię iam in bono radicata & confirmata habens? An non eá in nos filios exeret? atque per sua suffragia nostram apud suum filium subleuabit inopiam? haud dubium. nam quamuis ipsa iam non degat nobiscum in terra, sed in cælo gloriosa resideat: tamen cæli iam sumpto imperio nostri curam non posuit: sed quanto est felicior & filio suo similior, tanto est ad interpellandum pro nobis propensior. quanto est eminentior atque potentior, tanto est & liberalior, & vt nostræ succurrat necessitati, subueniat indigentiæ, solicitior. quapropter iugiter & alacriter patrocinium eius imploremus atque ad eam tanquam ad matrem nostram pijssimam in omni necessitate & anxietate confugiamus; rogantes, vt suggerat suo benignissimo filio, quoniam vinum non habemus. Et ipsa si pie à nobis fuerit rogata, nostræ non deerit necessitati. Tam enim est diues vt largiendo nunquam exhauriri queat. Tam pronis & benignis auribus vt nullius preces non admittat. Tam liberalis vt neminem indonatum à se discedere patiatur. quis igitur eam vnquam votis irritis solicitauit? nemo profecto. nam nobis penitus persuasum est (neque vana fides) nihil esse quod præstare aut nolit rogata, aut nequeat volens. Sequitur:

& dicit ei Iesus, *quid mihi & tibi est mulier*? Cui non perquam mirum videatur quod in nuptijs illis respondit Dominus

minus benignissimæ matri suæ dicens: quid mihi & tibi est mulier? quid tibi & illi Domine? nónne quod filio & matri? quid tibi cum ea negocij sit rogas, cum te benedictum fructum ventris eius immaculati esse non ignores? nónne ipsa est, in cuius vtero nouem mensibus conquieuisti atque sedem habuisti? quæ te saluo virginali pudore concepit & sine corruptione peperit? Cuius virgineis vberibus lactatus atq; educatus es? Cum qua duodecim annorum effectus Hierosolymam ascendisti & paternis absolutis rebus ad patriam redijsti & eras subditus illi? nónne igitur plurimum tibi cum illa negocij est? nunc ergo Domine tu molestus ne sis matri dicendo, quid mihi & tibi est mulier? Verum hæc verba quamuis prima fronte videantur acerba; tamen matri, quæ candorem mentis filij sui sibi exploratum habebat, nihil molestiæ intulerunt. Eo quod absque rationabili causa cum nec dicere nec facere quicquam sibi persuasum habebat. Dixit igitur, quid mihi & tibi est mulier? non secus atque si dixisset. non agnosco viscera humana, opera facturus diuina. nam diuinitatem meam, quæ in me facit miraculum, tu non genuisti. Sed ne putes quod te negem matrem, nondum venit hora mea. Tunc enim te agnoscam matrem, cum videris in cruce eleuatam, cuius tu mater es, infirmitatem. Tunc dicam, Mulier, ecce filius tuus.

Cauendus tamen in hoc est Nestorij error, qui duas in Christo confitendas esse personas arbitratus, vetuit beatam Mariam Dei nominari genitricem, dicens: quod non Dei sed hominis mater est. eo quod humana tantum, non etiam diuina Christi natura ex illa sumpta sit. Verũ quamuis diuinitatem non genuerit, deum & hominem genuit. vnde procul dubio (sicut tenet catholica fides) Dei & hominis mater credenda & confitenda est. quia veraciter incorporeum verbum patris, aure cordis credendo concepit, & de corpore suo incarnatum ex virgineo ventre peperit. Verum hæc paucis admonuisse sufficiat. Iam ad institutum nostra sese recipiat explicatio.

Dicit itaque Dominus suæ sanctissimæ matri, quid mihi & tibi est mulier. quibus verbis Dominus, qui iubet honorare parentes, matrem dehonestasse putandus non

eſt: ſed illam altiora quærentem quam ſola humanitas habebat ad virtutem diuinitatis contemplandam ſubleuabat, dicens: Quid mihi & tibi eſt mulier? ac ſi diceret: quid humanitati tuæ, cum miraculo quod quæris, commune eſt, cùm miracula operari diuinæ virtutis ſit. Cum igitur miracula, quæ mihi ad promouendam hominum ſalutem incumbunt facienda, tibi in mentem veniunt, ad diuinam virtutem meam, ex qua fiunt, mentis oculos erigas oportet. quo docemur & nos idipſum facere debere, quotieſcunque mentio miraculi facta fuerit. quapropter quamuis hæc Domini verba videantur oneroſa, tamen Ioannes Euangeliſta merito nobis recēſet ea. nam hic vniuerſum ſuum conſcripſit Euangelium quoſdam contra hæreticos, qui Chriſtum ante Mariam fuiſſe negabant, eius diuinitatem non agnoſcentes. Vt igitur ea eſſet nobis cognita, Euangeliſta noſter Ioannes hic eam nobis tribus aut quatuor ſubindicat verbis dicens: quid mihi & tibi eſt mulier? nam cùm ſuæ diuinę naturæ matrem non habeat, diuinæ virtutis opera facturus matrem non recognoſcit. Idque propterea, quia iam tunc in auribus eius hæreticorum blaſphemiæ perſonabant, qui dicturi erant, quod Chriſti totum initium ex Maria eſt. Vnde vnius eiuſdemque perſonæ naturam vtramque duabus his breuibus exprimit ſententijs. Diuinam quidem dicendo, quid mihi & tibi eſt mulier. humanam vero cùm protinus ſubiungit: nondum venit hora mea. nam qui ſecundum diuinitatem ſine tempore & ſine matre eſt: ſecundum humanitatem matrem, tempora, & horas habere dignatus eſt. hinc ſequitur:

nondum venit hora mea.] quo verbo non hora fatalis, vt hæretici voluerunt, ſed hora paſſionis ſignificatur. Ac ſi diceret: Nondum venit hora paſſionis qua vere manifeſtem, quid humanitas quam ex te aſſumpſi, poſſit. quæ tunc impleta eſt, quando pendens in cruce dixit, mulier ecce filius tuus. quaſi diceret: Ecce quod ex te aſſumpſi pati & mori poteſt, miraculum quod quæris, ſine diuinitate operari non poteſt. Verum hæc beati Auguſtini interpretatio valde longe petita videtur. quare vulgarem huius partis Euangelij explicationem iam aggrediamur vt

eam

eam examinemus & excutiamus.

Dicit itaque Christus matri *quid mihi & tibi est mulier?* quasi diceret: O mulier quid curæ & solicitudinis mihi & tibi est de procurando vino: cùm illud nec meum nec tuum sit curare. Curent hoc qui ad illud delegati sunt munus architriclini. Verum nec hæc interpretatio nobis probatur. quia Maria prius dixit filio, vinum non habent, eo animo vt per miraculum procuraret eis vinum. quemadmodum circa hoc Euangelium Augustinus, Chrysostomus & Haymo expresse habent. hoc autem nullus præsentium per miraculum facere potuit, nisi Christus. Vnde perspicuum euadit illud non fuisse architriclini sed Christi. quare falsa est ea interpretatio, qua dicitur hoc non fuisse muneris & officij Christi, sed architriclini. Præterea nisi Christus duriusculè matri loqui voluisset, eã non mulierem sed matrẽ vocasset. Iam vero Christus non dixit, quid mihi & tibi est mater sed mulier, ob certũ mysterium aliquanto durius cum ea agens. quamobrem omnino leuis & blanda, qualis est prædicta, huic loco non congruit interpretatio. Restat igitur tertiam huius loci interpretationem iam subijciamus. Dicit igitur Christus, quid mihi & tibi est mulier, non secus atque si dixisset: Quid mihi tecum negocij est, o mulier, in faciendis miraculis, quæ me operari oportet, non ad tuum beneplacitum, sed iuxta voluntatem patris mei, qui in cælis est. Tu petis vt hoc statim faciam antequam omnibus manifestus sit vini defectus, ne sponsus ob defectum vini pudore periclitetur & ignominia afficiatur. Verum patris mei cælestis voluntas est, vt conuertam aquam in vinum posteaquam omnibus constiterit vini defectus, vt omnes miraculum considerantes glorificent patrem meum qui in cælis est. Id quod longe melius est, quàm si ad vitandam sponsi infamiam aquam vertam in vinum. Præstat enim salutem multarum animarum quàm vnius hominis quærere commodum temporale. Decreui itaque id præstare cum illa hora, in qua constabit omnibus vini defectus, aduenerit. Vnde in hoc negocio te habebo non tanquam matrem, cui merito obediendum sit, sed tanquam mulierem & quasi mihi incognitam, quia nũc vsque adeo

 incum-

incumbit mihi onus cælestium negociorum, vt non vacet perpendere, quid maternis tuis affectibus debeam. nec etiam habeo perficere voluntatem meam sed impositam à patre perficere obedientiam, cuius opus omnino præferendum est curæ carnis. Vt ergo legem perfectè impleret, matrem suam saluo eius honore nesciuit. quia profecto nulla est dehonestatio patris vel matris, dum eis non quælibet causa sed solius præfertur honor vel opus Dei. Propter hæc enim omnia & propriam quoque animam, nedum matrem negligere debemus. Curæ ergo ipsi erat maternus honor, sed longe magis vt æquum erat, honor Dei & commune in multos beneficium, cuius gratia humanam carnem accepit. Vt discant omnes se non peccare contra præceptum Dei de honore parentum à Deo nobis datum, etiamsi voluntati parentum, Dei voluntatem præferamus. nam deum & parentes diligere, honorare, eisque obedire nobis necessarium est, sed in omnibus Deum præferre & spiritualia pluris quàm hæc temporalia facere. Iuxta illud Act. 5. Oportet obedire Deo magis quàm hominibus.

Rogabis fortassis, an ergo Maria peccauerit quod voluit antequam omnibus manifestus esset vini defectus aquam in vinum transformari? Respondeo quod non. quia beata virgo pietate mota id voluit: nimirum ne sponsus & ij, quorum erat de vino prouidere conuiuis, infamia flagrarent. Eodem modo & Martha sororem suam Magdalenam, cum assideret pedibus Domini audiens verba salutis, abstrahere à Domino volebat: vt sibi in instruendo conuiuio auxilium ferret. nusquam tamen Martha, quasi in hoc peccauerit, legitur reprehensa. Reprehenditur quidem à Domino, non quod ob id peccatum committeret, sed quod Mariam ab eo, quod melius erat, auellere, ei rei vt operam daret, quæ adeo bona non erat, non conueniret. hoc modo & Maria hic ab ipso Domino quasi mulier increpatur quia id quod bonum erat, relicto eo quod melius erat, filio vt faceret, persuadere volebat. Vnde manifestum est quod Dominus aliquando quosdam alicuius reprehendit facti: in quo tamen immunes sunt à peccato. quemadmodum Matth. 16. dicens Petro:

Vade

Vade post me Satana : ſcandalum es mihi: quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum. vbi tamen Petrus nihil deliquerat, quia error Apoſtoli nõ ex incentiuo diaboli ſed ex pietatis prouenit affectu.

Quamuis aũt Dei genitrix mulier hic ſit appellata : de eius tamen dubitandũ nõ eſt virginitate. ſiquidem ex vſu ſcripturæ omnes fœminæ tam virgines q̃ nuptæ mulieres appellãtur. hinc cùm prima omnium noſtrum formaretur mater Eua, dictum eſt : Aedificauit Dñs coſtã, quam de Adam tulerat, in mulierẽ. quare hoc nomine non corruptio ſed ſexus deſignatur. Sequitur:

nondum venit hora mea.] hoc eſt, tempus miraculo congruum. quia necdum cõſtat omnibus deficere vinum. cũ enim miracula ad diuinam fiant gloriam manifeſtãdam, expedit eis vt hunc vini defectum prius oẽs ſciant. Tunc enim miraculum & ſuas habebit vires, & diuinam declarabit gloriam. Eritque acceptius his, manifeſtiusque hoſpitibus, vtilius quoque, quos iam è mundo elegi, diſcipulis. nam eos ad Catholicam adducet fidem.

Vnde manifeſtum eſt, quod illa textus particula, nondũ venit hora mea, quoad homines eſt intelligenda. quoad hoĩes enim vna hora conuenientior eſt alia. ſicut hic poſt recognitionẽ defectus q̃ ante eam, vtilior erat ad faciendum miraculũ hora. quamobrem Chriſtus non vbiq; nec ſemper, ſed cũ hora eius eſt, hoc eſt, qñ plurimos ad catholicam perducere poteſt fidẽ, tũc tandẽ miracula operatur.

CAPVT TERTIVM.

D*Icit mater eius,*] non turbata, non cõmota de filij reſponſione : ſed de poteſtate eius & pietate, de bonitate & miſericordia confidens. Tantæ enim eum ſciebat miſericordię & pietatis, vt facere quod petebatur, nõ eſſet recuſaturus, ſed indigentibus & egenis compaſſurus.

Quo & nos docemur, etiamſi nobis cũ oramus videatur de facto durius reſpõdere, & nõ ſtatim petita cõcedere: tamen de Dñi pietate non diffidere: ſed cum beata virgine fiducialiter eius miſericordiam expectare. Sequitur:

miniſtris] Ex quo manifeſtum eſt quod non ſolum loquitur ad filium, verumetiam ad eos qui ſeruiebant recũbentibus, miniſtros, vinum procurare ſtudens & ne vini labora-

laborarent penuria omnem operam adhibens. Intellexit enim in illis Domini verbis, quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea: se non esse contemptam nec petitionem suam omnino esse repulsam, sed duntaxat cõuenienter dilatã. vnde ministris præcepit vt filij iubẽtis præcepta alacriter exequerentur, atq; implerẽt. hinc sequitur.

quodcunque dixerit vobis facite.] Si enim Christus illã matris petitionem implere plane recusasset, quid opus fuerat Mariam committere seruis, vt quod ille iuberet, diligenter implerent? quid quod nec ipse Christus miraculũ illud fecisset, si ad matris preces facturũ se omnino abnegasset?

Dicit itaque mater eius ministris, certissime sciẽs Christum aquam in vinum transformaturum: quodcũque dixerit vobis facite. quasi dicat: Non rebellate, non recusate, nullam faciẽdorum rationem quęrite, nec eius institutum, quamuis vobis videatur nouum, ridete. quare opportuna cõmonitione ministrorum animos pręparat & sollicita præmonet, ne veram eius ignorantes virtutem de eo quod futurum erat, diffiderent: vel ne quod præcepturus erat, amentiæ reputarent: vel ne irridentes gratia miraculi indigni fierent: sed vt præcepto obedientes manifestandæ gloriæ Dei viã facerent. Idẽ nobis dictũ esse putemus. Neque enim nos vult Deus habere operũ suorum iudices, sed præceptorum suorũ executores. nec sufficit nobis aliquid eorum quę pręcepit Christ⁹ facere: sed quicquid mãdauerit faciendũ est. Siquidẽ hic Maria in seruis istis demãdauit nobis Christianis omnibus vt quicquid nos ille facere iusserit, faciamus sedulo. nam maledictus oĩs qui non permanserit in oĩbus, quæ scripta sunt in libro legis. ꝙ is nõ facit qui offendit in vno. nã qui offendit in vno factus est omniũ reus. maledictus aũt qui declinat à mandatis tuis.

Ceterum consilium hoc virginis matris erat longe pręstantissimum. quod semper, si modo ꝙ à Deo petimus, impetrare velimus, facere debemus. nec potuit aliud esse consilium ad impetrandum à Dño vinum conuenientius. quare enim quidam nõ adipiscuntur ea quibus indigent? Ratio in promptu est, quia nõ obseruant mãdata Dei: sed statim propter egestatẽ vel ad impatientiã dilabuntur; vel propter penuriam furãtur, vel alia homine indigna committunt

mittunt

mittunt facinora. & idcirco Deus eorum inopiæ nõ ſuccurrit: ſed eos propter ipſorum peccata, paupertate affligit. Si autem in præceptis Dei obſeruandis perſeuerarent, ſine dubio Deus eorum indigẽtiam ſubleuaret. Sed rogabis an nihil aliud præterq̃ obſeruatio mandatorũ Dei ad hoc requiratur, vt Deus noſtrę ſubſidiũ prę ſtet calamitati? Dico & aliud requiri, nimirũ vt Deo ad noſtrã miſeriã depellendã collaboremus. niſi enim famuli hauſiſſent aquã Chriſtus eam in vinum non cõuertiſſet. quare ſi nos fuerimus pigri & deſides & Chriſto collaborare noluerimus, Chriſtus noſtræ non ſubueniet inopiæ. Propterea requiritur vt vinum feramus architriclino, id eſt, vt poſteaquam Chriſtus nobis adiumẽto fuerit, non deſeramus eius præcepta: ſed in illis adimplendis æque diligentes ſimus, atq; prius eramus dum in anxietate cõſtituti eſſemus. Denique oportet nos oẽm adhibere operam vt donis Dei nõ abutamur, ſed duntaxat quantum neceſſitas poſtulat, ea vſurpemus. quod nobis ſignificatur per guſtare. hęc autẽ myſtica vel potius moralia quia non longe ſunt petita, puto lectoribus futura magis accepta. Sequitur:

Erant aũt ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ.] hydria gręca dictio eſt deriuata ab ὕδωρ, quod eſt aqua, quę Latine aqualis dicitur. iuxta illud Gene. 24. Pauxillum aquæ mihi ad ſorbendum prębe de hydria tua. Ex eo autẽ quod additur *lapideæ*, certiſſimum eſt non fuiſſe lignea, nec magni valoris: quod argumentum eſt paupertatis eorum. Sequitur:

ſecũdum purificationẽ] hæc pars textus nunquã in ijs vinũ fuiſſe oſtẽdit, ne quis infideliũ ſuſpicari poſſet aliquo fortaſſis craſſiore vino in eis inſidẽte, deinde infuſa aqua limpidiſſimum vinũ effectum. ſiquidẽ deſtinatæ erant vt cõtinerent aquã, qua purgarentur Iudæi. quamobrẽ hydriæ erant non vaſa vinaria, quales multas legimus in Moyſis pẽtateucho. vnde hoc facit ad miraculi certitudinẽ. quod prius nullum in vaſis illis conſtat fuiſſe vinum. Sequitur:

Iudæorum] qui plus de externa quàm interna munditia erant ſoliciti. qui nuſquam non corpus ſuũ & omnia ſua ſupellectilia abluebant: ſed animæ ornatum porro negligebant. nam ſordes corporis crebro: animæ autem aut raro, aut nunquam mundabant, ſolũmodo obſeruantes tra-

ditiones

ditiones hominum. vt nobis satis abūdè Marcus testatur, cap.suo 7. a. sic scribens: Pharisæi & omnes Iudæi, nisi crebro lauerint manus, nō manducant tenentes traditionem seniorum: & à foro venientes nisi baptizentur, non comedunt. Et alia multa sunt quæ tradita sunt illis seruare, baptismata calicum, & vrceorum & æramentorū & lectorum. vnde mos hic Iudæorū fuit perpetuus, vt semper in promptu aquam, qua purgarentur, haberent; quia faci le polluebantur. vnde cum Palestina inopia aquarum laboret (rari enim illic fontes scaturiunt) hydriæ illæ aqua semper plenæ seruabantur; ne si quādo immundi fierent, longius flumina petenda essent, sed prope purgarentur. Atque hæc causa erat ob quam ibi fuerint lapideæ hydriæ sex positæ. Verum quia externa illa baptismata, hoc est, externæ lotiones significant internam, vereór ne si illa non accesserit, oleum & operam perdas. Lauamini & mūdi estote, ait dn̄s Esa. 1. & vt intelligamus quam lotionem velit, addit: Auferte mala cogitationum vestrarū ab oculis meis, quiescite agere peruersè, discite bene facere. Iudæi autē has Dei admonitiones nihili faciebant. Et de fide Iesu quæ purificat corda, & vera charitate quæ operit multitudinem peccatorum, & de eleemosynis, quę purgant peccata, ne cogitabant quidem. vnde dn̄s Matth. 23. c. inuehitur in eos dicens: Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis: intus autem pleni estis rapina & immūditia. quapropter non dissimiles sunt nostro seculo Pharisæis illi, qui cum in festis diebus subinde se luxuriosius vestiuerunt, putant se egregie suo perfunctos officio ac diem Domini diligenter sanctificasse. Verū non ita se res habet. nā ad nihilū nobis valet ornatus externus, neglecto interno, hic primum quærendus est, ille postea; hunc adhibere oportet, illum si neglexeris nihil piaculi commisisti; hic necessarius est, ille honestatis est politicæ. Sequitur:

capientes singulæ metretas binas vel ternas,] hoc est, capiētes singulæ metretas duplicatas vel triplicatas. Tā autē accurate loquitur de hydrijs istis vt oēm male loquēdi occasionem calūniatorib⁹ diuini operis & miraculi hui⁹ adimat.

Porro metreta penultima producta gen⁹ est vasis, quod confici-

conficitur ex duobus batis, quod Dioſcorides metretā dixit: Plinius vero cadum appellat; quod & ipſum græcum eſt. Vtroque tamen noſtri vtuntur. Eſt autē congiorū decem, vt author eſt Dioſcorides lib. 1. Decem aūt congij ſexaginta ſextarios valent, id eſt, amphoram & quadrātem. quomodo aūt Latini genus huius nominis mutarint, mirum videri poteſt. nam apud græcos dicitur: μετρητὴ vel μετρητὴς. eſtque maſculinum. Verum hoc quia parui momenti eſt, miſſum facimus & ad inſtitutum reuertimur.

Eſt itaque metreta Gręcorum menſura eadem cum cado, *ontrent onder half ame.* Accipitur tamen aliquando ſimpliciter Latinis pro vaſe. vnde manifeſtū eſt quod de magnitudine iſtarum hydriarū nihil certi dicere poſſumus; propterea quod nō tam menſurę q̃ menſurarū noīa ſoleāt non ſolum iuxta regiones, verumetiā oppidatim & vicatim immutari. nihilominus tamē ex Euangeliſtę verbis in confeſſo eſt hydrias fuiſſe capacitatis non paruæ, dum dicitur quod ſingulæ hydriæ continebant non ſolum vnam metretam, ſed metretas binas vel ternas. quare nec loco facile moueri potuerūt. niſi enim tam magnæ & capaces fuiſſent hydriæ, potuiſſet aliquis ſuſpicari clam ab aliquo hydrias illas vino plenas fuiſſe allatas. Verum quoniā tam capaces deſcribuntur, nullus relinquitur ſuſpitioni locus, nec ab aliquo clam afferri potuerunt. Erant igitur hydriæ capacitatis maximæ, non ſcyphi, non craterę, non calices, non vitra quæ vinis epotandis ſunt magis apta.

Quod autē Chriſtus tanta vaſa vino repleuerit, teſtatur eius liberalitatē & diuitias bonitatis eius. hęc enim ex hoc eius facto palā omnibus euceſcunt. vnde ad ſimile quoq; exemplar prouocat ditiores, vt & ipſi erga pauperes tanto ſint liberaliores, quanto ſunt locupletiores. Sequitur:

dicit ei Ieſus] non diſcipulis ſed miniſtris, qui miniſtrabant menſis: quibus prius ſanctiſſima illa virgo loquuta eſt, dicens: Quodcunque dixerit vobis, facite. & hoc propterea vt miniſtros ipſos qui aquā hauſiſſent, teſtes haberet miraculi, ne qua fraus, ne quod præſtigiū putaretur.

His itaque dicit Ieſus. *Implete hydrias aqua.*] vnde colligitur eas iam nō fuiſſe aqua plenas. Ex eis enim ſumpſerāt aquā, qua antequā menſæ aſſidere inciperent purgabātur.

Præterea opus fuerat eis aqua ad mundandā supellectilē, quæ similiter ex illis hydrijs sumpta erat. Iussit ergo Iesus suppleri, quod fuerat amotū, dicēs: Implete hydrias aqua.

Sed quid sibi istud vult Dñe? ministri solliciti sunt de vini penuria, & tu dicis, implete hydrias aqua? Illi de poculis cogitant, & tu præcipis vt vasa purificationis impleant? hoc autē quāuis mirum videatur, quomodo tamē mirum non sit iam accipite. hoc igitur voluit Dñs vt omnes hinc animaduerteremus, nos Dño collaborare debere. Si namque nihil agere voluerimus, non est quod quicquā à Domino speremus. Potuisset ipse solo nutu replere vniuersa purificationis vasa. verum vt sciremus nostrum esse ei collaborare, id noluit. Facimus autē aliquando quædā, quæ exigua & nullius momenti videntur, vnde tamē fructus prouenit vberrimus. quis vnquam credidisset, ꝙ ex hac aqua, quam ministri hauserant, habuissent vinū istud nobilissimū? Similiter quis crederet, nisi hoc vniuersa sacra doceret scriptura, nos propter laborem, quem hic viginti aut triginta aut quadraginta, &c. annis patienter sustinemus, vitam habituros semper duraturam? quis sibi persuasisset vnquam nisi verbis Christi edoctus, nos adepturos, si præcepta Christi, quæ vires nostras nō superant, obseruauerimus, vitam nulla plane miseria permixtam? An non & hoc nobis significatur ex eo, quod ob tantillum laboris, quod in hauriēda insumpserant aqua, acceperunt vinum istud nobilissimum? Ita profecto: Patienter igitur vniuersas huius seculi calamitates & ærumnas sustinete, nam inde proueniet salus perpetua. Sequitur:

Et impleuerunt eas vsque ad summum.] Chrysostomus hic quærit, quare Christus antequā implerentur non fecit miraculum, cùm tamen Deus omnia ex nihilo creauerit, & cùm hoc longe fuisset admirabilius, & eius diuinitatē indicasset perfectius? Respondet quod hoc fuisset quidē admirabilius, non tamen ita credibile, nec tam facile multitudini potuisset persuaderi. quam ob rem nec ipse hydrias impleuit, vt ministri qui aquam hauserant, testari possent, nec dolum subesse nec fraudem, sed nec magicum quicquam hic vsurpatum. hæc autem ratio est, ob quam suorum magnitudinem miraculorum quandoque Christus

immi-

imminuerit ipſe,vt & facilius & citius crederentur.

Chryſoſtomus præterea hic aliam affert cauſam,quare maluerit Chriſtus aquam in vinum cõuertere quàm præter aquam vinum creare. quia cùm ſint nonnulli hęretici, qui alterum mundi opificem ea,quæ videntur opera condidiſſe aſſeuerant, ideo vt horum inſaniam cohibeat,plura facit ex ſubiectis ſubſtantijs miracula. quod nequaquam faceret ſi alius àliquis opifex Deo contrarius, ea, quæ videntur, creaſſet opera. Si enim ita ſe res haberet, Chriſtus vtique illis alienis ad propriæ virtutis demonſtrationem vſus non eſſet. Sequitur:

& dicit eis Ieſus:haurite nũc.] Iubet hauriri nulla dilatione interpoſita,vt intelligamus aquam ſtatim in vinũ conuerſam:& miraculum iſtud Chriſtum ſine vllo verbo ſola ſua voluntate diuina eſſe operatum. Omnis enim creatura purè in obedientia conſiſtit diuina, adeo vt de ea fiat, quidquid diuinæ illius placitum fuerit voluntati. hinc Pſalmiſta,Pſal.134.Omnia,quæcun̄que voluit Dominus fecit in cælo,terra,mari & omnibus abyſſis.Sequitur:

& ferte architriclino.] hoc eſt,principi apparandi conuiuij,& præfecto in cõuiuio miniſtrantium,vel potius præpoſito tribus menſis accubitorijs. nam architriclinus dicitur princeps triclinij, ab ἀρχὸς græce, quod Latine dicitur princeps,& τρικλίνιον quod eſt locus tres menſas accubitorias habens. hinc ternario lectorum ſeu menſarum numero perfectum conuiuium ſignificatur.

Erat igitur architriclinus is, teſte Chryſoſtomo, cuius hoc officium erat vt debito ordine & apparatu omnia diſpenſaret. nam ex eo quod architriclinus vocat ſponſum & dicit primo loco ponendum eſſe bonum vinum,ſe autẽ neſciſſe de hoc meliori vino:indicat ſui muneris eſſe,omnia debito modo & ordine diſponere atque procurare.

Hoc autem munus maxime ſobrijs & temperantibus demandari ſolet. vnde merito iubet Chriſtus, vt ei primo vinum feratur, eo quod ceteris eſſet ſobrior & ad iudicandum de vini qualitate aptior. Deinde quod architriclini iudicio maior ab omnibus fides haberetur. Denique vt ſic Chriſtus etiam honorem deferret ei, quem ſpõſus architriclinum conſtituendo honorauerat. Iuxta illud

 ad Rom.

ad Rom. 12. Cui honorem, honorem.

Sed quare iubet ministros ex hydrijs haurire & ferre architriclino, & non potius vt ipsi dicerent architriclino se aquam conuertisse in vinum? Respondeo id eum facere noluisse propter profundam suã humilitatẽ. Vere enim humilis facta sua non prędicat, sed quantum potest ea occultat. Iccirco Christus nonnullis præcepit, ne cui, quæ & quanta in eos contulisset beneficia, dicerent. Sequitur:

& tulerunt] vnde animaduertitis quomodo per omnia Domino obtemperauerint. quamobrẽ & vos discite similiter Domino in omnibus obedire.

CAPVT QVARTVM.

VT *autem gustauit architriclinus*] nõ dicit bibit, sed gustauit ad significãdum architriclini officium. Sequitur.

aquam vinum factam.] Gustauit itaque aquam non iam aquam, sed vinũ factam. nunquid cõsequitur (inquit Hilarius) aut sermo noster aut sensus, quibus modis natura mutata sit, vt aquę simplicitas defecerit & vini sapor natus sit? non permixtio fuit, sed creatio: & creatio non à se cepta, sed ex alio in aliud existens. non per transfusionẽ potioris aboletur quod infirmius est, sed aboletur quod erat, & quod nõ erat cœpit. hęc Hilarius. Vbi sane est quod miremur, Christum, qui propterea in istum venerat mundum, vt homines mundi voluptatem cõtemnere doceret, tantum humanæ tribuisse infirmitati vt conuiuium istud optimo etiam vino exhilararet. Sequitur:

& non sciebat vnde esset: ministri autem sciebant, qui hauserãt aquam: vocat sponsum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit.] Est distributio accommoda non simpliciter intelligẽda de omnibus hominibus: quia nec omnis homo vinum habet: nec omnis homo vinum habens ponit illud ante alios: nec omnis qui ponit ante alios prius bonum vinũ & hospitibus inebriatis ponit deterius. quapropter hic est sensus: Omnis homo prudens gratos habẽs hospites, quos lætos facere cupit, primò bonũ vinũ ponit, quo epotato si aliud nõ habet, id ꝙ valoris minoris est, iubet afferri. nã auaritię est in cõuiuijs peiora præmittere, quemadmodũ vrbanitatis, meliora imprimis largiri.

Econtrario facit sponsus noster Christus. semper enim

ſeruat ad vltimum bonũ vinum. Amarum autem & quod deterius eſt ante propinat. nam omnes qui pie volunt viuere in Chriſto, oportet multa pati, in mundo preſſuram habere, propter nomen Ieſu tanquam excrementa mundi & omnium reiectamenta reputari: crucẽ portare: vim ſibi facere: per anguſtam portam, & arctam viam, quæ ducit ad cęlum, intrare. hinc Chriſtus de apoſtolo Paulo ſtatim poſtquam eum in vas electionis aſſumpſerat, dixit ad Ananiam. Ego oſtendam illi quanta eum oporteat pro nomine meo pati. Poſtea autem vinum præcipuum & abundans, quale regiam decet magnificẽtiam, apponit; quando triſtitiam electorum in gaudium permutat felicitatis æternæ. Ibi inebriantur ab vbertate domus Dei & torrente voluptatis potantur. Ibi facit eos diſcumbere: & tranſiens omne bonum, omne gaudium, omne quod deſiderant, miniſtrat eis. Sequitur:

Prioris ad Corinth.4.

Et cum inebriati fuerint, tũc id quod deterius eſt.] hinc arguis conſuetudinem antiquitus obſeruatam eſſe, in nuptijs & conuiuijs impleri vino ad ebrietatem vſque, & ob id opinaris calicibus epotandis operam dare peccatum nõ eſſe. Verum etiam ſi demus morem illum fuiſſe antiquitus obſeruatum: inde tamen non cõſequitur peccatum illud nõ eſſe. nam mos quantumlibet diu obſeruatus etiam à magnis huius ſeculi viris de eo, quod malum eſt, neminem à culpa excuſat. Alioqui impoſturæ, vſurę, calumniæ, fornicationes, adulteria, ſuperbia, acedia, inuidia, ira, & id genus infinita ſcelera non eſſent peccata mortalia. quia hæc omnia antiquitus à multis perpetrata ſunt etiam viris magnis. quamuis igitur hæc à multis retro ſeculis fieri conſueta ſint: tamen hoc non arguit quin ſint peccata mortalia. quapropter non licet nobis ea ex illo ſeculi more imitari nec nos in his huic ſeculo conformare. nam quicunque voluerit amicus eſſe huius ſeculi, inimicus Dei conſtituitur.

Obgannis rurſus quòd Chriſtus, poſteaquam conuiuæ in hiſce nuptijs vniuerſum ebibiſſent vinum, aquam conuertit in vinum, nõ illud tenue & inſipidum, ſed optimũ & nobiliſſimum, quo magis hoc palato hoſpitum arrideret: idque propterea vt aliud eſſet vinum priore lõge præ-

ſtantius,quod ab eis iam fere ebrijs biberetur. Videtur igitur ebrietas peccatum nõ eſſe. Reſpõdeo Chriſtum in nuptijs ex aqua feciſſe vinum, non vt conuiuæ ſuo ad vllum peccatum abuterentur beneficio: ſed vt matrem ſuam pro pauperibus interpellantem pro ſua erga eã reuerentia exaudiret: vt pauperibus ſubueniret: vt nos miſeris compati debere doceret: denique vt ſuam omnibus ob oculos poneret omnipotentiam, ſapientiam, & bonitatem. Omnipotentiam quidẽ creaturas tranſmutando. Sapientiã vero per mutationem creaturarum fidem in diſcipulorum cordibus plantando, ſpem confirmando, charitatis ignem in eos diffundendo. Bonitatem denique, pluſquam petitum fuerat, largiendo. Sic aperit manum ſuam & omnia eius replentur bonitate. Et quãuis certo conſtaret aliquos fuiſſe in his nuptijs ebrios, vinoq́ue plane ſepultos: tamẽ Chriſtus non male feciſſet vertendo aquam in vinum. quẽadmodum nec male facit, ꝙ nobis largitur copioſam meſſem, vini, olei & frumẽti abundãtiam, tempus pænitẽtiæ, ætatem floridam, vires corporis, huius ſeculi diuitias, ingenij acrimoniam, memoriæ tenacitatem, liberos, familiam, poteſtatem, honorem, viſum, auditũ, guſtum, tactũ, &c. quamuis his aut ſaltem aliquibus horum valde culpabiliter multi abutantur. nam Deus nobis ſua dona largitur, non vt eis abutamur, ſed vt ea, prout nobis neceſſarium eſt, cum gratiarum actione vſurpemus. Vnde nos etiam ſi qui ebrij fuerint, illud eorum factum nec laudare nec imitari debemus. quod enim bonũ, non ꝙ malum eſt, imitandum nobis eſt. hinc Pſalmiſta: Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. quoniam qui malignantur exterminabuntur: confirmat autem iuſtos Dominus. quod autem Euãgeliſta huius rei mentionem non fecit, cauſa eſt, quod ſolummodo Chriſti miraculum memoriæ dare & ad poſteros tranſmittere voluit, & ideo de architriclini verbis nihil amplius dicit.

Quamuis autem hoc in loco ebrietas non ſit damnata: non tamen ideo licita eſt cenſenda. ſiquidem ſatis abunde in alijs ſacræ ſcripturæ locis culpata & traducta eſt. Nam Dominus Matth. 24. e. aperte ſic dicit: Qui vult manducare & bibere cum ebrioſis, veniet Dominus ſerui

illius

illius in die, qua non ſperat; & hora, qua ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis. Illic erit fletus & ſtridor dentium. Similiter Luc. 21. g. Attendite vobis, ne forte grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate & curis huius vitæ. Paulus quoque ad Eph. 5. c. huius rei nos bene admonet, dicens: Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria. Deinde ad Galat. 5. c. enumerat ebrietates & commeſſationes inter opera carnis, quæ qui faciunt, regnum Dei non poſſidebunt. Sicut enim neque fornicatores, neque adulteri, neque idolis ſeruientes, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari: Ita quoque neque ebrioſi neque maledici, neque rapaces regnum Dei conſequentur. Expergiſcimini igitur ebrij & flete: vlulate omnes qui bibitis vinum in dulcedine. Deus non irridetur. hinc huiuſmodi hominibus & Eſaias propheta mortem comminatur, dicens: Væ vobis qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis. & paulo poſt: Væ vobis qui potentes eſtis ad bibendum vinum & viri fortes ad miſcendam ebrietatem. Si hæc verba noſtri ſeruatoris, Pauli, denique Eſaię ebrioſorum animis pauorem incutere & metum inijcere nō poſſint, neſcio quid eis vtiliter dici poterit. Sequitur: *Eſai. 5.*

Tu autem ſeruaſti bonum vinum vſque adhuc.] ſcilicet cōtra communem hominum conſuetudinem.

Porro hoc circa Chriſti miracula eſt conſiderandum quod communiter multo his, quæ per naturam fiunt, ſunt meliora & vtiliora. Vinum enim iuxta naturæ limites productum, non ita eſt bonum & vtile; atque illud quod Chriſtus miraculoſe ex aqua fecit. nec id mirum. quia Chriſtus diuina virtute miracula faciebat. Dei autem perfecta ſunt opera vt dicitur Deut. 32. vnde vinum illud, vt etiam verba architriclini teſtantur, optimum & nobiliſſimum fuiſſe creditur. nam dum dicit architriclinus: Tu autem ſeruaſti bonum vinum vſque adhuc, videtur loqui de vino ſingulariter & præcipue bono. Ita etiam cæci, quibus Dominus reſtituit viſum, acutius ceteris cernebant. Claudi quoque quibus reſtaurauit greſſum, ceteris celerius ambulabāt. hinc Eſaias, ſaliet, ſicut ceruus, clau-

dus. Et sic de similibus similiter sentiendum est.

Sunt quoque qui asserunt Christum ob euidentiorem primi huius miraculi manifestationem ex aqua vinum fecisse rubeum: quod vt est per se admirandum magis: ita Ecclesiastica firmatur authoritate. siquidem non temere canit Ecclesia. Aqua rubescunt hydrię, vinumq́; iussa fundere, mutauit vnda originem. Sequitur:

hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae.] Rogabis fortassis quomodo hoc signũ fuerit initiũ ceterorũ signorum Christi, cùm tamẽ libellus quidã de infantia Christi plurima puerilia contineat miracula? & ipsum similiter Euangelium Nazarenorum? Respondent quidam quod hoc fuerit primum signorum Christi, non omnium sed eorum, quæ exhibuit in Cana Galilææ. Verum hæc solutio viris non placet eruditis. quia pari ratione debuisset Euangelista narrando alibi facta miracula, dicere: hoc fecit initium signorum in Ierusalem, hoc fecit initium signorum in Capharnaum, & similiter in monte, &c. quod tamen Euangelista non fecit. Taceo quod nulla alia miracula subiunget facta in Cana Galilææ, quę tamen subiungenda fuissent, si hoc fuisset primum factorum in Cana Galilææ & non primum absolutè.

Quamobrem doctissimi quique affirmãt hoc omnium fuisse primum. nam si antea, inquit Chrysostomus, fecisset miracula, non indiguisset Israel Ioanne, qui ipsum manifestaret. Tunc enim miracula ipsa, eum reddidissent manifestum. Dicitur tamen Ioan. 1. Ego nesciebam eum, sed vt manifestetur in Israel: propterea ego veni in aqua baptizans. quod autem Ioanne opus non fuisset si Christus antea fecisset miracula, manifestum est. nam vir factus miraculorum multitudine non solum Iudæis, sed & Syris & longinquiora incolẽtibus cognitus est tribus annis duntaxat: imo ne tribus quidem sed quamprimum nomen eius omnibus cognitum. qui igitur tam breui miraculis claruit, longè magis à prima infantia claruisset, si ea fecisset. Fuisset enim maiori admirationi vtpote puer q̃ vir. neque tam diu in obscuro latuisset. non immerito tamen Iesus in teneris annis à miraculis abstinuit, ne arbitrarentur homines se præstigia videre. nam si de ipso iam

ætate

ætate maturo multi id ſuſpicati ſunt, quid de puero ſibi perſuaſiſſent? Vnde manifeſtè colligitur Ieſum ante hoc miraculum nullum aliud miraculum feciſſe. quare meritò per decretum Gelaſij papæ reiectus & reprobatus eſt libellus quidam de pueritia Chriſti tanquam ab hæreticis editus & confictus: Sicut & Euangelium Nazareorum. nam & illud à doctoribus inter falſa computatur.

Si rurſus obijcias antea quoque facta eſſe miracula, vtputa in ſtella magorum & in apparitione columbæ: & ipſum adhuc duodennem grauiter adeo & maturè tum reſpondiſſe legiſdoctoribus, tum viciſſim eos interrogaſſe: Ad hęc duo priora breuibus reſpondeo, quòd quamuis ea quoque ab ipſo tanquam Deo ſint facta (opera enim Trinitatis ſunt indiuiſa) nō tamen ea fecit ſecundum ſuā humanitatem, nec hinc ſignum vllum licebit colligere de ipſo, cùm non appareret eum hęc facere. quod autem obiectum eſt illum in templo ſediſſe in medio doctorum, argumentum quidem fuit & ſignum euidens ſuæ ſapientiæ ſed non perinde ſuæ virtutis, quam in miraculis demum declarauit. Sicut etiam cum Nathanaële loquens, iam à Philippo vocato & antea ſub ficu agnito, ſcientiam ſuam demonſtrauit, non autem potentiam.

Si dixeris diſcipulos propter miracula quæ ſolitus erat facere, eum huc fuiſſe ſequutos: Reſpondeo hoc falſum eſſe: ſed ſequuti ſunt eum quia eius erant diſcipuli & ſimul cum Chriſto ad nuptias vocati, vt ex præmiſſis manifeſtum eſt. Eſtque hæc non exigua laus diſcipulorū Chriſti, vt inquit Gregorius, quod ſequuti ſunt ipſum priuſquā vel miracula eum facere vidiſſent, vel ab eo quicquam de præmio æternæ retributionis audiſſent. Sequitur:

& manifeſtauit gloriam ſuam.] id eſt, latentem ſuam diuinitatem, per quam poteſtatem habebat ipſa etiam elementa tranſmutandi. Deus enim erat in illo.. vnde dixit Ioan. 14. nō creditis quia ego in patre & pater in me eſt? alioqui propter opera ipſa credite. quia pater in me manens ipſa facit opera. Efficaciſſima enim via declarandi gloriam ſimul & maieſtatem eſt facere huiuſmodi opera, quæ ſolus poteſt facere Deus.

Ceterum vt eius gloria manifeſtaretur, hoc fecit Chri-

ſtus miraculum vnde miraculi huius hic redditur cauſa. Sequitur:

& crediderunt in eum diſcipuli eius.] Altera hæc eſt cauſa, ob quam miraculum hoc fecit Chriſtus. nimirum vt ſuorum diſcipulorum fidem firmaret. non tamen putandum eſt, quod tunc primum in eum crediderunt. Prius enim Andreas credidit, cùm eum ſequeretur Ioan. 1. Credidit & Petrus, Nathanael quoque, cùm diceret: Tu es filius Dei, tu es rex Iſrael. Rogabis quam ergo ob cauſam hic dicuntur crediſſe? quia qui prius crediderant, viſo miraculo firmius crediderunt. quare non ebrietas, nec aliud quippiam mali ex iſto profluxit miraculo: ſed confirmatio fidei & ſalus diſcipulorum. In gentilium quidem & infidelium nuptijs ebrietas multis præconijs effertur. In iſtis vero nuptijs ſalus conuiuarum à Chriſto facta laudibus euehitur.

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICÆ TERTIÆ, POST EPIPHANIAM DOMINI,

CAPVT PRIMVM.

Euangelium Matthæi octauo a.

IN ILLO *tempore, Cùm deſcendiſſet Ieſus.*] Supra capite quinto dicit Euangeliſta Matthæus Chriſtum in montem aſcendiſſe quãdo docendum erat: nunc autem quando operandum erat, eundem deſcendiſſe affirmat. Aſcendit igitur ad docendum: deſcendit ad operandum: vt & nos doceamur mente aſcendere ad contemplatiuam vitam: rurſus deſcendere factis ad actiuam. Exemplo nobis Chriſtus eſt qui haud quaquam in monte manſit, ſed abſoluta concione etiam ad opus deſcendit. huc facit eius ſermonis, quem in monte habuit, peroratio, quæ ſic habet cap. 7. Omnis qui audit verba mea hæc, & facit

& facit ea, assimilabitur viro sapienti qui ædificauit domum suam supra petram. Sequitur:

de monte] mons iste, in quo (vt superius narrauit Euangelista) Dominus sedens fecit sermonem ad turbas, & ordinem octo beatitudinum tradidit, non fuit mons Olineti: quamuis id Chrysostomo visum fuerit. Siquidem mons Olineti prope Hierusalem situs erat, hic autem in Galilæa apud ciuitatem Capharnaum. vnde & statim posteaquam de monte descendisset Iesus, fertur ingressus Capharnaum, quæ principalis erat ciuitas Galilææ. Sequitur:

sequutæ sunt eum turbæ multæ] nimirum quæ prædicationem eius in monte isto audierant; & sermone completo à Christo nō recesserant: sed sequutæ eum ex diuersis caussis fuerant: quidam vt plenius ab eo instruerentur & in anima à peccatis sanarentur; atque hi sunt qui optime dominum sequuntur. Alij vero sequuti sunt eum, quia eius eloquentia, pulchritudine & venustissimis moribus delectati mirum in modum ex præsentia Christi gaudebant. Erat enim speciosus forma præ filijs hominum. Alij vt ex curiositate quadam, quædam noua audirent; nō autem vt ijs auditis obtemperarent: quales erant tempore Pauli Athenienses. Alij vt viderent eius miracula, quæ faciebat circa eos, qui infirmabantur. Alij vt ab ipso à languoribus curarentur & in corpore sanarentur. Ex quorum numero fuit hic leprosus, cuius in hoc Euangelio fit mentio. Alij vt Iesum si quid forte contra legem agere videretur, accusarent: & beneficia maleficijs recōpensarent, vt Pharisæi. Alij denique magis vt alerentur, quàm vt ad obseruanda Dei præcepta instituerentur. Sicuti & multi hodie faciunt qui ingrediuntur in diuites Abbatias, magis vt lautè & ociosè viuant, quàm vt Domino seruiant. Sequitur:

& ecce leprosus veniens] hinc post prædicationem atque doctrinam signorum offertur occasio, vt inquit Hieronymus, vt per virtutum miracula pręteritus apud audientes sermo firmetur.

Laudat leprosum hunc beatus Chrysostomus, dicens: magna est prudentia accedentis. non enim quasi inconsideratus sermonem docentis incidit, nec illud auditorum

theatrum importunus acceſſit, ſed exſpectauit tempus aptiſſimū, vt deſcendēti iam ei oportuniſſime ſupplicaret. quia tempus eſt omni rei ſub cælo, tempus doctrinæ, tempus curationis, &c. Sequitur:

adorabat eum,] non ſimpliciter & nudè adorauit Dominum: ſed (quemadmodum Marcus manifeſtius commemorat) procidens ante illum flexis genibus. Et vt ſignificantius refert Lucas quinto capite ſui Euangelij, ſuper faciem ſuam iacens. quamobrem adorabat eum adoratione latriæ. Deum enim non dubitauit, quem ſupplex adorauit. nec illum petebat quaſi hominē artificem ſed adorabat quaſi Deum. Superfluè enim & ocioſè Domino videretur ſupplicare dicendo, Domine ſi vis potes me mundare, niſi eum tantum & talem crederet, qui omnia poſſet. qui enim duntaxat pietatem voluntatis implorat, de potentia ſubueniendi non dubitat. Conuenit oratio externæ humiliationi: abeſt fictio: adeſt deuotio: adeſt obnixæ orationis feruor: ineffabile voti deſideriū: deſiderij fiducia viuax: nec in oratione aliter quàm humilitate ſuperatur. quare niſi & noſmetipſos penitus potenti manui Dei ſubmiſerimus, in oratione noſtra nunquam exaudiemur. Certe hic leproſus citra omnē hypocriſim ſe Chriſto proſtrauit, vnde & à Chriſto mirifice exaltari meruit. nā antequam peteret, adorare cœpit & flexis genibus cultum oſtendens ante illum procidit. Deinde ſuam Domino petitionem aperuit. ſicut & tres magi Chriſtum adhuc paruulum adorauerūt & tum demum ſua munera eidem obtulerunt. quare exordia noſtræ religionis ſunt ſub potenti manu Dei humiliari, ſeſe agnoſcere, & agnoſcendo in conſpectu diuinæ maieſtatis contremiſcere. quid enim eſt angelica gloria ad tantam maieſtatem collata? Si autem illa diuinæ maieſtatis comparatione ſit nulla, quid igitur eius comparatione de nobis, qui terra & cinis ſumus, ſentire debemus? nos igitur miſeri, quo auguſtum magis cognoſcimus, hoc nos magis indignos eius maieſtate factis inſinuare debemus. quapropter horum exemplo edocti primò coram Altiſſimo nos humiliemus. Deinde petitionem noſtram ei aperiamus, vt vel ſic exaudiri mereamur, dicendo:

Domine si vis, potes me mundare.] quasi dicat: O Domine dominantium, rex regum & princeps regum terræ, quia cuncta in ditione tua sunt posita, nec quisquam est qui tuæ possit resistere voluntati:ideo si vis,potes me mũdare. ac si diceret: Credo te posse quicquid velis, velle quicquid prosit: verum an mihi sanitas expediret & ad animæ salutem vtilis foret, ignoro: tibi autem id cognitum esse scio:Ideo si tibi id consultum videatur, potes me mundare. quare si vis,id est,si nosti saluti meæ animæ expedire,potes me mundare.

Quamobrem hoc leprosus dixit sub hac conditione, si vis, non quod de misericordia Christi & bona voluntate eius quam ad omne bonum opus paratam esse cognoscebat, diffideret: sed quod se indignum eius misericordia iudicaret. vel potius quòd, cùm nec semper nec omnibus ista corporis sanitas ad animę prosit salutem,ignoraret an sibi profutura esset ista lepræ suæ mundatio. Vnde sibi sanitatem conferri non vult,si non esset sibi ad salutem animæ vtilis futura. quasi dicat: Ego quidem toto cordis affectu sanitatem desidero: si tamen mihi non expediat; nõ mea voluntas sed tua fiat. nam malim leprosus permanere quàm sanatus tui obliuisci & peccatis implicari. hoc autem est perfectæ philosophiæ insigne, voluntatem nostram sanctissimæ voluntati diuinæ submittere. quare vt & nobis,quæ petimus concedat Deus,ea efflagitare debemus,modò sint ad salutem conuenientia. Orantes enim Deum semper in fine addere debemus,vt petita nobis tribuat, si nobis ad salutem animæ expediant. Si vero obfutura nouerit,retrahat manum. quapropter quòd nõ semper ea, quæ petimus obtineamus, non prouenit ex parte voluntatis Dei,quæ semper ad omnia bona opera est prõptissima: sed semper defectus est ex parte nostri, quibus ista bona temporalia subinde non cedunt ad animæ salutem. Ob id etiam aliquando nec remissionem nostrorum peccatorum consequimur, etiamsi eam precibus ab Altissimo efflagitemus,quia aliquando vt eam obtineamus nõ sumus idonei. quod fit quando amore alicuius peccati ita tenemur, vt id non velimus amore Dei relinquere. Sequitur:

potes

potes me mundare.] Si hæc verba ipſius leproſi penitius introſpiciantur, ſunt animæ leproſæ medicina. Leproſus enim non dicit, domine ſi Deum pro me interpreceris, intercesſione tua mundabor: neque ſi adoraueris Deum; neque Domine munda me: ſed ſi volueris, potes me mũdare. vnde ipſi cuncta commiſit, eumq́ue conferendæ ſanitatis eſſe Dominum confeſſus eſt. Atque in ipſo conſtituit omnium poteſtatem, cùm diceret: Domine ſi vis, potes me mundare. quaſi dicat: Voluntas tua opus eſt: & omnia opera tuæ voluntati ſubiecta ſunt, & obediunt. quare ſi vis, potes me mundare.

Hinc manifeſtum eſt quod leproſus iſte Ieſum agnouit eſſe Chriſtum in lege promiſſum ac verum Deum & dominum ſuum, qui pleniſſimam rerum omnium haberet poteſtatem. & hanc quidem illius perfectam fidẽ non tantum ex operibus, cùm legitur procubuiſſe Chriſtumq; adoraſſe, perſpicere licet: verumetiam longe apertius ex eius verbis. nam fides, quam ſuo expreſſit ſermone, proprie in ipſam dirigitur deitatem, quę ſola omnipotens eſt. hinc ait Angelus ad Abraham: nunquid Deo quicquam eſt difficile? Rurſus ad Mariam Luc. 1. Non erit impoſſibile apud Deúm omne verbum. Ita & Mardochæus dicebat Heſter 13. Domine domine rex omnipotens cuncta in ditione tua ſunt poſita, & non eſt qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati, ſi decreueris ſaluare Iſrael. Similiter & Dauid Pſal. 134. Omnia quæ voluit Dominus fecit in cælo & in terra. Et 1. Reg. 2. Tu es Domine qui vitæ & mortis habes imperium: & deducis vſque ad portas mortis & reducis. quamobrem leproſus hic Dominum acceſſit corpore quidem leproſo: Anima autem pura & lucida & pectore ſincero, dicens: Domine ſi vis, potes me mundare. Dominus autem declarando ipſum ſinceræ eſſe fidei: ſincera quoque ac pura ſanitate donauit. Acceſſit ad ipſum fideliter: accepit & remedium fideliter. nam ſicut medici pecunijs, ita Dominus oratione placatur. Nihil enim dignius offerimus Deo, quàm orationem fidelem. nec eſt quod dubitemus quin & nos exorabimus, modo ex vera fide humiliter oremus. nam oratio humiliantis ſe nubes penetrat. Sequitur:

Geneſ. 18.

Et exten-

Et extendens Iesus manum,] ſcilicet eã qua fabricauit cælum & terram, & quam dum aperit, omne animal benedictione implet. Sequitur:

tetigit eum.] Sed quare Ieſus tetigit leproſum, cùm tamen id prohibitum fuerit in lege? Præceptum enim erat in lege Leuit. 13. Ne quicquã tangeretur immũdum. Sed leproſus in lege pro immũdo reputabatur. vnde quiſquis in veteri Teſtamento leproſum tetigerat, eum mundari rurſus ex lege oportebat. Reſpondeo quod non literam legis, quæ leproſum tangi vetuit, reſpexit Chriſtus: ſed voluntatem legiſlatoris, qui iſtud pręceptum dedit, ne ſani ex leproſi contactu inficerentur. Contagioſa enim eſt lepra, & ab altero in alterum quàm facillime tranſit. vnde hoc prohibitum fuit propter contagionem. quia igitur infici non potuit, tangere potuit, vt ſuo tactu purgaret leproſum. Et vſque adeo in hoc legem nõ ſoluit, vt etiam impleuerit. nam lepræ immunditiem ſuo tactu abſtulit. quamuis ergo literam legis ſoluerit, tamen propoſitum legis nõ ſoluit: nam lex non vetuit tangere lepram, vt leproſi ſanarentur, ſed ne tangentes inquinarentur. Chriſtus autem tangens, non inquinatus eſt à lepra, ſed ipſam lepram tangendo mundauit.

Quamuis autem Chriſtus potuerit ſanare leproſum ſine manus ſuæ extenſione & tactu: nihilo minus tamen leproſum tangere voluit. nam Chriſtus venit ſaluare mundum non ſolum virtute diuina, ſed etiam per myſterium incarnationis ipſius. Et ideo frequenter in ſanatione infirmorum non ſola vtebatur poteſtate diuina, per modum imperij curãdo: ſed etiam aliquid ad humanitatem ipſius pertinens apponendo: vt ſciamus totam ſalutem noſtram non ſolum virtute diuina, ſed etiam per aſſumptam Chriſti humanitatem eſſe peractam & completam. vnde ſuper illud Luc. 4. g. Singulis manus imponens curabat eos: dicit Cyrillus, quamuis vt Deus potuiſſet omnes verbo pellere morbos; tangit tamen eos, vt oſtendat propriam carnem ad præſtanda remedia efficacem.

Deinde voluit tangere leproſum, vt hinc oſtendat ſe nõ eſſe ſubditum legis, ſed Dominum. Eliſæus vero demonſtrans ſe eſſe ſubiectum legi, ad Naaman Syrum non eſt

egreſſus

egreſſus, nec tetigit locum lepræ, rigorem legis obſeruãs.

Alia denique cauſa dari poteſt, cuius & ipſe meminit Origines, qui dicit quod tetigit Chriſtus leproſum vt nos doceret nullum ſpernere, nullum horrere, nullum propter corporis maculam contemptibilem ducere. Ecce Dominus leproſum, quem lex extra caſtra eijciebat, quem ſcribæ & phariſæi vix reſpicere dignabantur, tangere non recuſauit, qui eum mundare poterat ſine tactu, oſtendens quia eius tactus ſalus eſt credentibus. Sequitur:

dicens, volo mundare.] nunquam hoc verbo vſus refertur Dominus, quamuis plurima ſigna operatus ſit. Veruntamen non male conueniebat petitioni leproſi, qui quia dixerat; Domine ſi vis, recte reſpondit ei Dominus, volo. Deinde ſubdit, mundare. Mundare autem hic imperatiuus paſſiuus eſt. neq; enim vt aliqui putãt, cõiunctim legendũ eſt, volo mũdare: ſed ſeparatim, vt primò dicat, volo, deinde imperet, mũdare. ac ſi dicat: volo mũdus eſto.

Quamobrem quod leproſus credebat, Chriſtus non redarguebat ſed etiam mirum in modum cõfirmabat, dum in preces huius leproſi cõſentiebat dicens, Volo, mundus eſto. O reſponſum propitium! O verbum pium & clemens! O verbum omni iucunditate & conſolatione plenum! O propenſam Dei voluntatẽ, quę nobis omnium & bonorum, & eorum quæ in bonum cedũt, cauſa eſt. nam in, volo, oſtendit pietatis clementiam. In, mundare, maieſtatis ſuæ potentiam. hinc ſequitur:

Et confeſtim mundata eſt lepra eius.] Quamobrem Chriſtus dicendo, volo mundare, oſtendit ſe eſſe eum de quo dictum eſt: Ipſe dixit & facta ſunt: ipſe mandauit & creata ſunt. ſtatim namque paruit creatura & illum ſui agnouit creatorem. hinc Sapien. 16. Neque herba, neque malagma ſanauit eos, ſed tuus Domine omnipotens ſermo, qui ſanat omnia.

Atque hoc (vt inquit Euangeliſta) factum eſt confeſtim. nec mirum. nam celerius hic natura ceſſit Deo, quã potuerit Euangeliſta exprimere: adeo vt ipſum quoque confeſtim multo ſit tardius illius operis celeritate, quo curatio leproſi facta eſt. Id quod euidens extitit ſuæ diuinitatis argumentum. quia cùm omnes creaturæ ſucceſſiue

cessiuè operentur, non in instanti: hic tamen Christus confestim & in instanti hunc leprosum sanauit. Vnde colligitur, vera fuisse verba leprosi, quibus confessus est Dominum posse, si vellet, mundare, atque adeo nudam Dei voluntatem ad aliquam rem efficiendam vel creandam sufficere.

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICAE TERTIAE POST EPIPHANIAM DOMINI, CAPVT II.

ET AIT *illi Iesus, Vide nemini dixeris.*] Sed cur Christus hic iussit vt leprosus cęlaret miraculum: cùm tamen e contrario Angelus dixerit ad Thobiā Thob. 12. Opera Dei reuelare & cōfiteri honorificū est. Similiter & Esai. 12. suæ prophetiæ capite: Cantate Domino quia magnificè fecit: annunciate hoc in vniuersa terra. Rursus & Christus ipse cæco apud Ioannem, Ioan. 9. Da gloriam Deo. Si quis autem aliquod miraculum Dei cælat & occultat, non dat illi gloriam. vnde Dominus alibi sanato homine à legione dæmonis præcepit, dicens: Vade in ciuitatem ad tuos & annuntia eis quanta tibi fecerit Deus. quare ergo nunc leproso curato dicit, vide nemini dixeris? Imprimis ad hoc responderi potest non absolutè omnino Christum hic illi præcepisse miraculi huius silentium: sed duntaxat tam diu quousque reliqua duo iam subiungenda peregisset. Profectò enim si ille iam statim miraculum istud prædicare cœpisset, sacerdotes propter inuidiam contra Christum eum ad iudicium mundationis non admisissent. Verum ista responsio Chrysostomo non placet. nam dicit leprosum illum vsque adeo integre fuisse iam à Christo mundatum, vt non potuerit mundatio ista à sacerdotibus quantumuis maleuolis in dubio poni. non enim sic eum mundauerat, vt mundatio ipsa esset ambigua, sed perfectè omnino mundauerat. Et ideo alio modo respondet Chrysostomus, dicens: Quod iussit eum hoc non fateri, vt doceret quàm esset alienus ab aura glo-

riæ,

tiæ, pompaque iactantiæ. nam Christus fugit ostentare, quod fecerat: vt per istum leprosum gloriæ atque iactantiæ renunciandum doceret. Et per illum, quem à legione mundauerat, gratias nos Deo referre, eiusque beneficia confiteri commoneret. Ostendit ergo Christus quàm sit humilis, & simul suo facto nobis humilitatem commendauit, cùm vetuit semet laudare & extollere. Denique docuit neminem se debere propter dona à Deo accepta commendare. quare si leprosus ille mundatus suum proprium in hac re quæsisset honorem, quasi is ipse fuisset præ tot leprosis dignus, qui à Domino sanaretur, tam temeraria & insolenti superbia Deum multum offendisset. huius vanæ gloriæ rex Ezechias sensit incommodum non paruum: qui cùm totum argentum suum & aurum, omniaque quæ in thesauris suis habebat, ostendisset nuncijs regis Merodach: & se & hæredes suos bonis illis omnibus priuauit. nec solum bona abrepta sunt, sed & hæredes in captiuitatem ducti: sicut eis prędixerat propheta Esaias. Potest igitur homo, vt breuibus dicam, dona Dei celebrare in honorem Dei & ædificationem proximi sui: cauere tamen debet, ne quicquam vel superbiæ vel vanæ gloriæ inde sibi quærat.

2.Reg.2.

Rogabit quispiam fortassis: An ergo leprosus peccauerit dicendo alijs se esse mundatum à Christo? nam hoc leprosum vbique prædicasse Marcus Euangelista asserit. Dico quod non, quia præceptum istud designabat voluntatem ipsius, qua humanam gloriam refugiebat: secundum illud Ioan.8. Ego non quæro gloriam meam. atque hanc voluntatem præcepto taciturnitatis significabat. Volebat tamen Christus absolute, præsertim secundum diuinam voluntatem, vt propter aliorum vtilitatem factum publicaretur miraculum. Et ideo publicantes illud non peccabant. nam quamuis istud in modum præcepti ponatur; tamen præceptum nullum est. Christus enim non intendebat leprosum per virtutē diuini præcepti obligare, ne cuiquam id propalaret, sed solum nos instruere volebat, vt omnem vanam gloriam tum vitaremus vndique, tum oblatam quoque recusaremus. hinc dicit Chrysostomus super illud Matth. 9. Videte ne quis sciat. non

est hoc

est hoc contrarium ei,quod alteri dicit,Vade & annuncia gloriam Dei. Erudit enim nos prohibere eos, qui volunt nos propter nos laudare. Si autem ad gloriam Dei refertur & aliorum ædificationem, nõ debemus prohibere,sed magis vt hoc fiat iniungere.Sequitur:

Sed vade, ostende te sacerdoti:] Ecce Christus vult, vt ipse præceptum legis scriptum Leuit.14.impleat: idque quatuor de causis iuxta Hieronymum. Primùm ob humilitatem, vt sacerdotibus honorem deferret, quibus etiam de signis suis iudicandi tribuit potestatem. quamuis enim sacerdotes mali fuerint, tamen Christus propter officium ipsorum eos honorari voluit. Secunda causa est, ne videatur legem infringere. Tertia, vt videntes leprosum mundatum vel propter tantum miraculum credentes saluarentur:vel non credentes inexcusabiles fierent.Quarta, vt miraculum istud satis confirmaretur,& nemo esse phantasiam, elusionem, aut magicum aliquid arbitraretur.Ob id enim voluit etiam testimonio sacerdotum illum mundatum & sanum agnosci, iudicarique. Vnde & Marcus habet: Vade & ostende te principi sacerdotum. Est quoque & mystica ratio, nempe figura futuri. misit namque eum ad sacerdotes ad præfigurandum quod Christiani quamuis per contritionem & gratiæ infusionem sint ab animæ lepra, hoc est, à peccatis expurgati: tamen tenerentur congruo tempore (si adsit facultas) sacerdoti Ecclesiæ seipsos per sacramentalem confessionem ostendere eiusque iudicio satisfacere. nam sicut leprosum ex præcepto legis oportebat ostendere lepræ mundationem sacerdoti typico: Ita & quemlibet peccatorem ex præcepto Christi oportet ostendere lepræ spiritualis mundationem sacerdoti euangelico. hinc Salomon Prouerb. 28. dicit eum qui abscondit peccata sua non acquisiturum iustificationem: illum autem qui confessus ea fuerit & deinde reliquerit, misericordiam adepturum. quia nec Deus dimittit peccatum, nisi sub hac conditione, vt pœnitens proponat suo tempore secundum Christi præceptum confiteri.

Hinc manifestum est non sufficere vt homines soli Deo compuncto corde peccata sua confiteantur, etiam si

à malis suis operibus cessent. nam si peccata non essent sacerdotibus confitenda: nequaquam Dominus leprosos, quos per semetipsum mundauerat, ad sacerdotes misisset. Deinde si peccata non essent sacerdotibus confitenda & ad eorum iudicium excutienda: nequaquam Paulum, quem in via fuerat allocutus, Ananiæ sacerdoti destinasset. Vt interim taceam & Cornelium missum fuisse ad Petrum & deinceps omnes peccatores ad Ecclesiæ prælatos & animarum curatores vsque ad hæc tempora.

Quare quod Christus huic leproso dixit, omni homini peccatori dictum puta. quasi dicat: Non expectes quousque cogaris vrgēte necessitate & infirmitate, quãdo oportet sacerdotem ad te vocari, sed vade dum sanus es: & ostende te, non alium: nam alia persona non est in confessione nominanda: nisi forte peccatum ex parte alterius personæ (quia cum illa commissum) esset grandius & enormius. Sequitur:

Sacerdoti] cui data est à Christo ligandi & soluendi potestas. vt manifestum est Ioan. 20. dum dicit Dominus: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. quia autem sacerdoti non potest constare, cuius peccata remittenda & cuius retinenda sint, nisi singulatim ei omnia dicantur: idcirco omnia singulatim ei confitenda sunt: vt scire possit cuius retinere & cuius dimittere debeat. Sequitur:

Et offer munus tuum] quasi diceret Dominus: credidisti, sanus effectus es. Noli obliuisci qualis fueris, qualis factus sis, non cesses Deo de accepto beneficio gratias agere, ne tibi ingrato deterius contingat. Sequitur:

quod præcepit Moyses.] sed quare Dominus Moysaicum approbat sacrificium, cùm id Ecclesia non receperit. quia significantia sacrificia auferri non debebant, priusquam illud quod significabatur, in ara crucis esset oblatum, & Apostolorum contestatione & fide credentium confirmatum.

Hinc manifestum est, quod legalia & ceremoniæ veteris legis nõ cessauerunt Christo adhuc viuente: sed post mortem Christi totaliter cessare debuerunt, quasi iam cõsumma-

summata ipsorum veritate. In huius signum in passione Christi velum templi legitur esse scissum. *Matth. 27.*

Ceterum munus illud satis manifestum est ex Leuitico, Leuit. 14. Vbi in sacrificio leprosi, qui iudicandus erat mundatus, exprimuntur passeres duo viui: lignum cedrinum, vermiculus, & hyssopus. Reliqua ibi vide. hæc autem offerebantur in gratiarum actionem & ne vacua manu ad sacerdotem venirent. hinc dicit Dominus, non venias in conspectu sancti templi infructuosus, sed offerens munus tuum. quod autem ad illum tunc dictum est nos omnes admonet. Ad illum loquens, nobis omnibus dicit, vt & nos dona & munera nostra nõ teneamus apud nos, sed reddamus Deo. Sequitur:

in testimonium illis.] Ita vt munus illud mundatis velut testetur sanitatem iam restitutam. Ad quod testimonium, iam hi quoque munus suum offerebant. Et iuxta hunc sensum (illis) accipitur pro mundatis à lepra. Augustinus vero & Chrysostomus alium hic sensum requirunt, vt (illis) accipiatur pro sacerdotibus. vt hic sit sensus: Offer munus tuum, quod illis offerri iussit Moyses, vt munus ipsum testetur illis sacerdotibus, me non esse legis aduersarium & transgressorem, sed econtrario obseruatorem. Cùm enim sacerdotes plurimum calumniarentur Dominum quasi ille legi Moysaicæ aduersaretur: voluit iam mundatum à lepra per munus illud testimonium perhibere sacerdotibus quòd essent iniusti Christi iudices, qui eum dicebant legis Moysaicæ violatorẽ & calumniatorẽ.

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICAE TERTIAE POST EPIPHANIAM DOMINI, CAPVT III.

CVM *autem intreisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio.*] Centurio gentilis erat positus à Romanis ad custodiam principalis ciuitatis Galilææ, quę Capharnaum appellabatur. Non fuisse autem ex genere Iudęorum, tum à nomine ipso, vocabuloque Centurionis perspicuum est, *Hic incipitur Euangelium quod legitur feria 5. in cap. Ieiunij.*

tum etiam quia dictum est, nec in Israel tantam fidem fuisse inuentam. quare istud miraculum differt à primo in duobus, quia primum Iudæo est factum: secundum gentili. Per quod datur intelligi quod non pro Iudæis solum, sed etiam pro gentibus venit Christus. Secundo quia Iudæus per se accessit: gentilis vero per alios: quemadmodum iam in sequentibus declarabitur. Dicit igitur Euangelista quod accessit ad eum Centurio non quidem in propria persona, sed per alios à se missos. nam Lucas dicit quod misit ad eum seniores Iudæorum, per quos rogabat eum. quamobrem accessit non per se & passibus corporis sed per maximam fidem, qua potius ad Iesum quàm gressibus corporis acceditur. Et ideo secundum veritatem propior Christo erat, quàm illi quos miserat. quo enim Centurio magis quàm alij credidit: eo magis quàm alij ad Dominum accessit. quod attendens prudens Euangelista ipsum potius quàm illos per quos verba sua miserat, accessisse ad Christum dicere volebat. Lucas autem ideo totum, quemadmodum gestum est aperuit, vt ex hoc intelligere cogeremur, quemadmodum accessisse dixerit alius, qui mentiri non potuit. quare sicut illa mulier, quæ fluxum sanguinis patiebatur quia credidit, magis Dominum tetigit, quàm illæ turbæ à quibus Dominus premebatur: Ita & Centurio quo magis credidit, eo magis ad Dominum accessit. quapropter & vos accedite ad Iesum non carne, sed corde: non corporis præsentia, sed fidei potentia: sicut ille fecit Centurio. Iuxta illud Psal. 33. Accedite ad eum, & illuminamini. Sequitur:

Rogans eum & dicens: Domine puer meus,] Ex septimo capite Lucæ Euangelistæ manifestum est, non fuisse filium, sed seruum. quod autem Matthæus eum appellat puerum, quasi filium, non autem seruum, hoc facit propter consuetudinem scripturarum, quæ solent ministros pueros appellare. hinc 3. Reg. 19. habemus: Quod Elias venit in Bersabee & dimisit ibi puerum suum.

Multi autem illo tempore rogabant pro diuersis, alius pro filio, alius pro alio aliquo: nullus autem pro seruo nisi iste solus. quod dico vt humanitas Centurionis illustrior fiat, qui etiam animam agenti atque adeo deplorato ser-

to ſeruulo ſalutem priſtinam adeo deſiderabat & quaſi non damnum pecuniæ ſed ſalutis paſſurus pro ſalute eius ſic ſolicite feſtinabat, atque Dominum pro eo tam humiliter interpellabat; implens illud Eccl. 27. Seruus fidelis ſit tibi quaſi filius. Sic debent & prælati erga ſibi ſubiectos miſericordia commoueri. Si enim hic gentilis de ſalute corporis vnius ſui ſerui tam fuit ſolicitus, omnem mouit lapidem, nihil non fecit, quod ad ſanitatem eius operæ precium putaret: quam excuſationem obtrudere poterunt in die iudicij prælati Eccleſiæ, paſtores, & curam animarum habentes tam ſpirituales quàm ſeculares de morte & damnatione tam innumerabilium animarũ, quæ eorum incuria & negligentia omni hora pereunt & in peccatis ſuis moriuntur? Certe ſanguinem animarum iſtarum de manu ſpeculatorum requiret Deus. Sequitur:

iacet in domo] ſcilicet mea, non in hoſpitali aut alio loco ob infirmitatem de domo mea eiectus. Sic omnes qui famulos aut famulas habent, merito facere deberent. quotuſquiſque tamen hodie Chriſtianorum heroum, ſeruum aliquem ægrotum domi ſuæ retinet? Aut quomodo magnates in ædibus ſuis infirmos perpetiantur, qui etiam validos & ſanos canibus & aſinis longe poſthabent? Sequitur:

paralyticus] id eſt, reſolutionem membrorum & immobilitatem ſuſtinens. quare non in vna tantum re miſerabilis, quod infirmus iacet, ſed & in alia quod paralyticus: tertia, quod male torquetur. hinc ſequitur:

& male torquetur] id eſt, grauiſſime cruciatur. quia vt dicit Lucas, præ infirmitate erat moriturus. Ceterũ Centurio infirmitatem tantummodo expoſuit: remedium autem ſanitatis in poteſtate miſericordiæ eius dimiſit. nam medico tantummodo neceſſarium eſt morbum explicare, quid autem aut quomodo facere debeat, ipſe ſcire tenetur. Sequitur:

Et ait illi Ieſus] videlicet per ſeniores Iudæorum, non illi in perſona, quia ipſe non aderat, ſed ſeniores Iudæorũ miſerat, per quos Ieſus reſpondit Centurioni dicens:

Ego veniam & curabo eum.] O promiſſionem benigniſſimam! O reſponſum pium & propitium, quo ille non tan-

tum ſanare puerum ſed etiam ad eiuſdem domum venire pollicetur. Videbat ille qui omnia videt, quemque nihil omnino latet ipſum benigniſſimum cor Centurionis & quantus fidei theſaurus in eo latitaret, & ob id illi reſpondit clementiſſime. Ego veniam & curabo eum. Ad ſanandum autem reguli filium venire noluit, ne diuitias honoraſſe videretur. hic ad Centurionis famulum mox ire cõſenſit, ne conditionem ſpreuiſſe ſeruilem putaretur. & qui ſolo verbo valebat curare, non dedignabatur ſeruum languentem viſitare: vt nos doceret non magnos colere & modicos contemnere: ſed pauperes & diuites ſimiliter honorare. Si enim diuitem honoras, propter perſonam ipſius eum honoras. Si autem pauperem honoras: propter perſonam Chriſti honoras. Propter ea Ioan. 4. Regulo poſtulante pro filio ſuo non dixit: Ego veniam & ſanabo eum. Sed quid? Vade filius tuus viuit. Illic cùm rogaretur noluit ire, ne forte perſonam Reguli videatur accipere. hic autem non rogatus promiſit ire, ne videatur humilitatem ſerui contemnere. A nobis autem omnino cõtrario fit modo. nam ad diuites curritur ab omnibus nec iuſſis, nec venire rogatis. neque eſt eius rei modus. Ingerunt ſe omnes & intrudunt ad faſtidium vſque. Pauper interim ſolus iacet deſtitutus omni medicorum ope: qui etiam ſi rogentur ſubinde, ad pauperem venire nolunt. quo facto ſuperbia noſtra retunditur, qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti ſunt, ſed vanos honores & fallaces diuitias, maxima ſalutis impedimenta, veneramur. nam quos potentes cernimus: metuimus, veneramur, & honoramus. quos autem pauperes: contemnimus, negligimus, & deſpicimus. At vero filius Dei qui de cælo venit in terram, vt ſuperbiam fugiendam & humilitatem amandam atque naturam hominis diligendam oſtenderet ad filium Reguli rogatus ire noluit, & ad ſeruum Centurionis etiam cùm nõ rogaretur, ire paratus fuit. Excelſus enim Dominus humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit. Sequitur:

Et reſpondens Centurio ait.] nimirum per internuncios, quos miſerat. nam ea, quæ hic Matthæus de Centurione narrat: non per ipſummet Centurionem, ſed per internuncios

nuncios Domino Iesu dicta sunt intelligenda. quemadmodum Lucas sui Euangelij cap. 7. rei gestę modum explicans testatur. nam cùm internuncij venissent ad Iesum & petitionem Centurionis aperuissent ei: Iesus ibat cum illis. Et cùm iam non longe esset à domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine noli vexari. non enim sum dignus vt sub tectum meum intres. propter quod & meipsum non sum dignum arbitratus, vt venirem ad te, sed dic verbo & sanabitur puer meus. Ex quibus verbis colligitur, hæc omnia per internuncios fuisse facta. Sequitur:

Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum.] Lucas habet, quod cùm Iudæi venissent ad Iesum, rogabant eum solicite, dicentes ei: quia dignus est vt illi hoc præstes. Diligit enim gentem nostram & synagogam ipse ædificauit nobis. Verum non sic Centurio, qui se indignum esse asserebat, non salutari beneficio solum, verumetiam vt domi Iesum reciperet. Quapropter Centurio quamuis synagogam ædificasset Iudæis, eosque plurimum diligeret: tamen ob id non est superbia inflatus: sed semetipsum humiliauit, indignum se ratus, sub cuius tectum Dominus Iesus intraret. eo ipso dignus visitatione Domini effectus & admirationi super omnes Iudæos habitus. nam confitendo se indignum, reddidit se dignum. tecto non recipiebat, corde recipiebat. quanto humilior, tanto capacior, tanto plenior. Colles aquam repellunt, valles implentur. Iesum igitur nō longe habebat à domo, vt inquit Lucas, tametsi sub tectum suum inuitare nō auderet. hinc Psalmista Psal. 84. Veruntamen prope timentes eum salutare ipsius, vt inhabitet gloria in terra nostra.

Itaque si tu quoque magna vis reddere merita tua, ea ne magna esse putes, & magna tunc erunt. quemadmodum & Paulus quia se indignum arbitrabatur, qui vocaretur Apostolus, propter hoc omnium primus factus est. Itidem & Ioannes quia se indignum confitebatur, qui eius corrigiam calceamenti solueret, amicus sponsi effectus est, & manum quam calceamento dixit esse indignam, Christus super caput suum attraxit. Idcirco & Petrus, quia dicebat, Exi à me Domine, quia

homo peccator ſum, factus eſt Eccleſiæ fundamentum. nihil enim Deo tam gratum, quàm cum extremis peccatoribus ſemetipſum connumerare, hoc eſt, totius ſapientiæ principium. quapropter ſi vis vere magnum aliquid operari, nunquam te eſſe magnorum meritorum ſuſpiceris. nam & nos ſeruos habentes, maxime tunc eos acceptos habemus, cùm poſteaquam omnia nobis beneuole miniſtrauerint, nihil magnum feciſſe ſe cenſent.

Sed dices ſi non ingredi debet medicus ad ægrotum, quomodo ipſi ſubúeniet? Reſpondet Centurio;

Sed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus.] quaſi dicat: non eſt mi Chriſte ſeruator vt ſubueniendi aut curandi gratia domum meam ingrediaris, compendioſius hanc rem expedire potes, nimirum vnico verbo. quare non dixit, Veni & ſalua eum, ſed tantum dic verbo & ſanabitur puer meus: quaſi qui poterat etiam abſentium infirmitatibus imperare: & illic conſtitutus, in omni loco eſſe præſens. quamobrem non ſolum poteſtatis eius virtutem cõfeſſus eſt: ſed ipſam diuinitatis eius naturam cognouit; nec quaſi ſanctum rogauit, ſed quaſi Deum vbique præſentem, & cælum ac terram replentem. O magna fides, qua Dominum adhuc in carne cognouit, quod Deus eſt, & rex virtutum, & ſolo præcepto potens emittere auxilia indigentibus. O præclara fides qua Centurio Ieſu Chriſti dicere, credit eſſe facere. hinc ſequitur:

nam & ego homo ſum ſub poteſtate, habens ſub me milites: & dico huic vade, & vadit: & alio, veni, & venit: & ſeruo meo, fac hoc, & facit.] quaſi dicat: Ex me, qui & ipſe poteſtate nonnulla præditus ſum, diuinæ potentiæ tuæ coniecturam accipio. nam ſi centum milites mihi ſubiecti obediunt mihi: & dico huic vade & vadit: & alteri dico veni & venit. Inſuper & paterfamilias exiſtens ſeruos habens & ancillas, dico ſeruo meo fac hoc, & facit. nec quiſquam adeo durus eſt, qui audeat obloqui, ſed mihi ad omnia parent: qui tamen poteſtati Tyberij, Herodis, & reliquis dominis meis ſubditus ſum: ergo tibi, qui nulli ſubditus es ſed omnium dominus & ſuper omnia potens, omnia tibi ſubiecta parebunt. quare huic infirmitati dic,

tati dic,vade,& ibit: & dic ſanitati,veni,& veniet. Similiter ſi dixeris morti vt abeat, abibit: ſi vero dixeris vt veniat, veniet. Corporales enim morbi milites ſunt & vltores Dei.

Vides fidelem hominem. nam quod omnibus poſtea futurum erat apertum, atque clarum, quod mortis ac vitæ poteſtatem Chriſtus habeat, quod ad inferi ianuas deducat atque reducat: ipſe multo ante & animo credidit, & alijs prædicauit. Cûm enim dixit, dico veni, & venit: ac vade & vadit: illud profecto ſignificare voluit, quod etiam morti tanquam ſeruo dominari poſſit, & imperare vt dominus: & quod minime poterat in quenquam mors peruenire, ſi Ieſus ei abcedere iuſſerit.

Quamobrem hoc Centurio non quaſi ſimile quoddam affert: ſed hoc dicit ſumpto argumento à minori ad maius, quaſi Chriſtus comparationis præſtantia nimium præcellat. ac ſi diceret: Ego homo ſum, tu Deus: ego ſub poteſtate, tu ſuper omnes poteſtates: ego habeo centum milites,tu mille millia angelorum:illi mihi obediũt, hi tuam faciunt voluntatem: nec ſolum angeli, verumetiam omnes creaturæ. quare ſi ego qui homo ſum & ſub poteſtate aliena verbo imperatiuo tot, tantaque facile efficere poſſum etiam abſens: quid eſt quod facere ipſe etiam abſens non poſſis, qui & Deus es, & ſub aliena poteſtate non es? Ob id opus non eſt, vt præſentiam tuam corporalem, qua indignus ſum, ſolicitem, & intra meas ædes immundiſſimas inducam. Sed tantum dic verbum & ſanabitur puer meus.

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICAE TERTIAE POST EPIPHANIAM DOMINI, CAPVT IIII.

AVDIENS *autem Iesus miratus est.*] Et erat sane res supra modum admirãda, quod homo Ethnicus nec prophetarum oraculis, nec legis testimonijs institutus ad solã Christi famam, cum simulacrorum abnegata falsitate, filios Israel, quibus credita erant eloquia Dei, sua fide vincat.

Sed rogabis fortassis: quare Iesus est miratus, quod antequam fieret præsciebat, antequam audiret, vtique nouerat, cùm tamen admiratio non nisi ex re inopinata & improuisa causari soleat? Christo autem cùm Deus sit, nihil incognitum, improuisum, aut nouum esse potest: quia ei omnia antequam fiant, sunt nota. quare igitur miratus esse asseritur, cùm nullus ea, quæ prius nouerat, admirari soleat? Respondeo quod quamuis Christo nihil fuerit nouum aut insolitum, quantum ad scientiam eius diuinam, qua omnia antequam fiant, ei sunt nota: neque quantum attinet ad scientiam eius humanam, qua res in verbo, vel per species sibi inditas, etiam antequam fiant, cognoscit: tamen Christo aliquid fuit nouum & insolitum secundum scientiam experimentalem, qua ea quæ antea nouerat, expertus etiam est. nam per hanc poterant sibi quotidie aliqua noua & insolita, ex quibus admiratio causatur, occurrere. Et ob id subiunxit Christus: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel. nimirum experimentaliter. quasi dicat: non sum expertus tantam fidem in Israel. quare Christus non solum (vt quidam volunt) exteriora admirationis effecit signa, vt id nobis mirandum esse significaret: verumetiam interior quoq; admiratio in Christo fuit. Sequitur:

& sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantã fidẽ in Israel.] Nõ quod in Deipara, In Iosepho per angelos diuinorum conscio, In Ioanne baptista, Simeone, & similibus non fuerit tanta: sed quòd in ijs, qui sanandorũ languorum gratia ad Dominum conueniebant, non esset ad-

huc tan-

huc tanta inuenta.

Sed qua de causa, inquies, leprosi fides, qui etiam istis maiora perfecisse videtur, non est laudata à Christo? non enim dixit dic verbo, sed quod multo maius est, velis tantummodo. Id vero est, quod de ipso cælesti patre propheta protulit, dicens: Omnia, quæcunque voluit, fecit. quare ergo Christus etiam leprosi fidem laudibus nõ celebrauit? Aut quomodo salua veritate dicere potuit, cùm huius leprosi fides maior fuisse videatur, se in Israel tantam non inuenisse fidem? Respondeo quod quamuis fides ipsius leprosi tam fuerit magna cognitione & certitudine, seu firmitate, atque fides Centurionis: tamen hæc longe maior extitit confidentia & deuotione. nam quo quis est humilior, eo est fides eius deuotione maior. hunc autem Centurionem prædicto leproso fuisse humiliorem ex prædictis manifestum est. hic enim se indignũ arbitratus est sub cuius tectum intraret Christus. Ille autem cùm Christus se contingere vellet, nequaquam id prohibuit, neque se eius cõtactu indignum professus est: sed modò sanitatem consequi posset, tangi se à Christo permisit. quod nequaquam vt apparet, Centurio sua superatus humilitate permisisset. hinc dicit beatus Augustinus: Tantam quid est? tam magnam. vnde magnam? de minimo, id est, de humilitate grandem, & similem grano sinapis quanto minutiori, tanto feruentiori. quamobrem huius Centurionis fides maior asseritur, quia maiore charitatis actu formata deprehenditur. Sequitur:

Dico autem vobis, quod multi ab oriente & occidente venient.] Occasione sumpta ex tanta viri gentilis fide prædicit futuram gentium salutem. Eam tamen expresse non protulit, sed solum per Periphrasim adumbrauit: vt infirmis parceret, malignos ne exasperaret: nam citius terram volare (quod in Prouerbio est) Iudæis tũc persuasisset, quàm nos Ethnicos ad regnum Dei, hoc est, ad numerum filiorum Dei recipi posse. Adeo litera legis cum sanguine & carne Abrahæ eos tunc excæcauit, vt tot prophetarũ suorum oracula intelligere nequirent. multo minus verba Christi, quę nobis Dei gratia obscura non sunt capere, potuissent. Deus autem qui diues est in misericordia secundum vi-

dum viſcera miſerationum ſuarum, nos miſeram & vere miſerabilem gentem (quod Iudæis impoſſibile & penè fabula videbatur,) propemodum ex lapidibus filios condidit Abrahæ: non hos, aut illos duntaxat, ſed omnes qui fidem eius imitabuntur. vnde per oriens & occidens omnia totius vniuerſi intelligit loca, in quibus gentiles tunc commorabantur. Dicit igitur quod multi ab oriente & occidente venient, hoc eſt, multi gentiles ex omni gente quæ ſub ſole eſt, venient per me, meoſque Apoſtolos, & prædicatores ad fidem catholicam: non ſecus atque hic Centurio ex gentili, fidelis effectus eſt. Sequitur:

& recumbent] id eſt, requieſcent & epulabuntur. hinc Luc. 22. Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. Res omnium iucundiſſima: res omni conſolatione pleniſſima, nos non vt catulos micas, quæ cadunt de menſa dominorum debere colligere, ſed reges factos cum regibus menſæ regis cælorum accumbere, atque aſſidere. non eſt tamen quòd epulas terræ huius ibi cogites: nam ibi alimentis opus non erit. quare nec illic debemus carnales deſiderare epulas, aut aliquid tale in illo concupiſcere regno. nam hoc ſi faceremus, non vitia virtutibus mutaremus, ſed vicia ſubderemus. Aliud enim eſt deſiderare regnum cælorum propter ſapientiam & vitam æternam; aliud propter felicitatem terrenam, quaſi ibi habituri eam eſſemus opulentiorem atque maiorem. Si ſic te diuitem in regno illo futurum putas, vt inquit beatus Auguſtinus, cupiditatem non amputas, ſed mutas. quare hoc pacto ibi diues non eris: & tamen non niſi illic diues eris. nam ibi ſunt diuitiæ ſine indigentia. hic autem indigentia tua colligit plurima. quare multum habent diuites? quia multis egent. maior indigentia quaſi maiores comparat facultates. Illic autem ipſa indigentia morietur. Tunc vere diues eris, quando nullius indigens eris. non tu diues & angelus pauper, qui non habet iumenta, currus, & familiam. quare? quia non indiget: & quanto fortior, tanto minus indigus. Ergo ibi diuitiæ & vere diuitiæ

nitiæ. hæc Auguſtinus: Myſteriorum horum iucunditas atque ſuauitas literis cōmendari nō poteſt. quare quiſque pro ſe videat, vt ea quæ calamus exprimere nequit, ſpiritu ſuo æſtimet. Sequitur:

cum Abraham, Iſaac, & Iacob.] Gentiles autem ideo pro filijs ab his patriarchis agnoſcentur, quia horum fidem imitati ſunt. Sequitur:

in regno cælorum.] Ex hoc colligitur patriarchis nō fuiſſe promiſſum regnum de hoc mundo & terrenum, quemadmodum Iudæi opinati ſunt: ſed regnum cælorum, ſeu cæleſte. Illud etiam tanquam mercedem gentiles pro ſua fide recipient. Sequitur:

Filij autem regni,] Rogabis quinam filij dicantur regni? Dico quod hi, qui iuxta carnis cognationem genus ducunt ex Abraham, Iſaac, & Iacob. hi autem dicuntur filij regni, quia ex genere, cui promiſſum eſt regnum cælorum, naſcuntur ſecundum carnem. quapropter filij ſunt regni vocatione, non electione: promiſſione, non conſecutione: reputatione & nomine, non reipſa & veritate. hinc ſequitur:

eijcientur in tenebras exteriores.] non dicit quòd omnes filij regni, ſed indefinite filij regni eijcientur in tenebras exteriores, quia quemadmodum non omnes ſed duntaxat multi gentiles recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cælorum: ita non omnes, ſed multi filij regni eijcientur in tenebras exteriores, hoc eſt, non ſolum non recipientur quia tenebras infidelitatis non abiecerunt interiores: verum etiam ob id in tenebras proijcientur exteriores. Interiores tenebras dicit ſapientiæ, gratiæ, & veritatis priuatiuas, ſeu cæcitatem cordis. Exteriores vero tenebras, ſenſibilis lucis priuatiuas. Vnde tenebroſum certum eſt locum eſſe dānatorum. nam quāuis in inferno ſit ignis; ille tamen obſcurus eſt, atque fumoſus, non aūt lucidus, niſi forſitan in tantum, vt dānati ſe mutuo ad cumulū ſuæ miſeriæ videre poſſint. Sequitur:

Ibi erit fletus,] Etiam ante diem Iudicij extremi, nō quidem corporalis & exterior, quemadmodum hic per lachrymarum reſolutionem. nam tunc animæ ſuis corporibus, ex quibus lachrymæ generari ſolent, erunt exutæ: ſed

tæ: ſed erit eis fletus interior, id eſt, ſumma triſtitia, ex qua corporalis fletus cauſari ſolet. Poſt diem autem iudicij reaſſumpto corpore, erit quidem eius fletus corporalis, verum nec tunc per lachrymarum diſtillationem. quia cùm nihil in eis per cibum tunc reſtauretur, ſi continuè ab eis aliquid per lachrymarum diſtillationem abſtraheretur, tandem conſumerentur. Omne enim finitum conſumitur, ſi aliquid ab eo continuè abſtrahatur. Præterea ſi tunc eſſet lachrymarum reſolutio: illius humoris, qui per lachrymas diſtillat, oporteret eſſe generationem. Illa autem generatio tunc eſſe non poterit, quia ceſſante motu primi mobilis omnis generatio & corruptio & etiã omnis corporalis alteratio finem habebit. quamobrem erit in eis corporalis fletus non quidem per lachrymarum diſtillationem: ſed per oculorum & cerebri conturbationem. Sequitur:

& ſtridor dentium] id eſt, animæ & interiorum viſcerum horrenda concuſſio. Sed poſt diem Iudicij etiam erit in eis propter frigus vehementiſſimum ſtridor dentium corporalis. Ibunt enim à calore nimio ad aquas niuium. quapropter damnati non ſolum pœna damni, nimirũ carentia diuinæ viſionis, ſed & ſenſus punientur.

Ceterum per has tres ſenſibiles pœnas (ſcilicet tenebras, fletum, & ſtridorem dentium) deſcribuntur ad literam vniuerſę pœnæ ſenſus, quę erũt in inferno. Ternarius namque numerus, quia perfectionis eſt, ad vniuerſitatem pœnarum ſignificandam inductus eſt. Sequitur:

Et dixit Ieſus Centurioni.] non in propria perſona, ſed in eius amicis.

Vade, hoc eſt, ad tuum ægrotum puerum, pro quo ſollicitus es, redi: & ab hac tua ſollicitudine & timore recede, ſecurusque eſto. Sequitur:

Et ſicut credidiſti,] me poſſe ſolo verbo abſentem curare ſeruum tuum.

Fiat tibi.] nimirum vt fidei robur tanto magis in te accreſcat: quanto magis quæcunque per eam vis impetrare te poſſe adipiſci animaduertis, & proſpicis. Sequitur:

Et ſanatus eſt puer ex illa hora.] id eſt, In illa hora, imo eodem (vt puto) momento, quo Chriſtus verba hæc protulit.

tulit. nam eius dixisse fecisse erat. Ipse enim dixit & facta sunt omnia: mandauit & creata sunt vniuersa. Credamus ergo & nos Dominum nostrum Iesum Christum omnia posse, vbique præsentem esse, eius indulgentiā cunctorum nobis remissionem peccatorum largiri, & procul dubio sicut credimus, modò eius præcepta seruauerimus, fiet nobis. nam sanitas animę (sicut nec corporis) non tribuitur nec generi, nec alijs meritis, sed soli fidei charitate formatæ. Credidit enim Centurio posse Christum omnia, credidit Dominū eum esse rerum omniū. Vnde & meruit, vt quod petierat impleretur. hinc disce vnicuiq; homini ita euenturum, vt ipse fide per dilectionē operante crediderit. Siquidem secundum Originem nihil in conspectu Dei mirabile est, nihil magnum, nihil preciosum, nisi tantum fides charitate formata. hæc enim fides mensura est, quā omnia in futura vita mensurabuntur.

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICÆ QVARTÆ, POST EPIPHANIAM DOMINI,

CAPVT PRIMVM.

Euangelium Matthæi octauo c.

IN ILLO *tempore Ascendente Iesu in nauiculam,*] Refert hic Euangelista Christum prædicando occupatum ascēdisse in nauiculam, neque contentum fuisse, vt ijs qui citra mare habitabant, Euangelij sementem faceret, nisi insuper vlterioribus quoque istis ad quos iam nauicula vectus progrediebatur, euangelizaret.

Ascendit igitur nauiculam, vt nauigaret: Ille qui totum mundum diuina virtute gubernat. Sed quid? An is opus habet nauicula ad transnauigandum? nunquid non supra mare transire poterat qui Petro præstitit supra vndas maris ambulare? An non poterat suis coram vestigijs

mare

mare ſiccare, qui coram filijs Iſrael iam olim ex Aegypto egredientibus & mare rubrum ſiccauerat, & ſicco veſtigio eos tranſire fecerat? poterat vtique. Verum ſi perpetuo diuina ſua poteſtate vſus fuiſſet, certe nemo illum verum eſſe hominem credidiſſet.

Conſtat igitur Dominum hic, dum miniſterio vti non dedignatur nauiculæ, hęreſim confutaſſe Manichæorum, qui diuina ſua poterat omnipotentia inambulare aquis: quod & Matth. 14. eum feciſſe legimus, quando quarta noctis vigilia venit ad diſcipulos ſuos ambulans ſupra mare. vnde manifeſtum eſt Chriſtum, non vt nauis indigum, nauim ingreſſum: ſed vt ſe verum pro nobis inſinuaret hominem factum. Id quod & dormiendo teſtatus eſt. Poſtea vero in exhibitione miraculi ſe verum Deum declarauit, quaſi enim homo nauem aſcendit: ſed quaſi Deus mare conturbauit. quaſi homo in naui dormiuit: ſed quaſi Deus ventis & mari imperauit & eorum furorem verbo coërcuit, vt nos in fide confirmaret & verum Deum & hominem ſe nobis declararet. Sequitur:

ſequuti ſunt eum diſcipuli eius.] Chriſtus igitur primus ingreditur ſcaphā, deinde Apoſtoli, ita vt in eadē cum Domino fuerint nauicula, non fruſtra, neque caſu; verùm vt futuri ſigni eos faceret ſpectatores. hinc diſcimus nullo nos medio melius poſſe habere Dominū nobiſcum, quàm ſi eum ſequamur, eiusq́ue veſtigijs inſiſtamus, non tantum veſtigia pedum eius ſequentes, ſed magis ſanctitatem eius & iuſtitiam imitantes. Sequuti ſunt igitur eum diſcipuli eius ſicut manſueti, pij, & ſpernentes mundum: non duplici corde, ſed ſimplici. quia per pelagus huius mundi transfretandum eſt, cum Chriſto, & virtutibus: non cum huius ſeculi delitijs, & voluptatibus, & honoribus. Sequitur:

Et ecce motus magnus factus eſt in mari.] motio maris naturaliter generatur ex vaporibus ab inferioribus aquarum aſcendentibus: deinde à vento in aëre occurrente: denique ab influentia cæleſti. quamobrem tempeſtas maris non tantum efficitur à ventis, ſed etiam ab ipſo fundo maris à quo conſurgunt & eriguntur vndæ, quæ tempeſtatem horridiorem & multo faciunt periculoſiorem. Et ob

id ſur-

id ſurgens non tantum imperauit ventis, ſed etiam mari.

Veruntamen motus hic maris magis creditur diuina virtute miraculosè quàm naturaliter ſuſcitatus: vt per eius ſedationem Chriſti omnipotentia ac diuinitas probarentur. Sicut quando temporibus Ionæ miſit Dominus ventum magnum in mare & nauis periclitabatur conteri: ita hic quoque, ait Origenes, ingreſſus nauiculam Dominus fecit turbari mare, commouit ventos, concitauit fluctus. hinc Pſalmiſta, qui conturbas profundum maris, ſonum fluctuum eius. quare tempeſtas hæc nõ ex ſeſe oborta eſt, ſed poteſtati paruit imperantis, eius qui educit ventos de theſauris ſuis, qui terminum mari arenam conſtituit: & dixit, vſque huc venies & non ſupergredieris: ſed in temetipſo confringentur fluctus tui. Talis namque ac tantus conturbauit mare non ſucceſſiuè, ſed quaſi ſubito & ex improuiſo, cùm prius fuiſſet tranquillitas magna. ſed cur hoc? vt diſcipulis ſuis incuteret timorem: timentes autem ſuum auxilium poſtularent, & ad Dominũ in omni neceſſitate refugium habere diſcerent. Sequitur:

Iob. 39.

Ita vt nauicula operiretur fluctibus.] Tantæ autem fuerunt iſtæ procellæ maris, vt illi iam de nauis ſubmerſione metuerent. Verum de hoc nullum erat periculum. vnde bene dicitur, operiretur, nõ autem ſubmergeretur, quia nauicula Petri concuti poteſt, ſubmergi non poteſt. Cuius figura in Noë præceſſit arca.

Porro diſcipuli vt ſine Chriſto, ita etiam ſine vllo periculo ſæpenumero hoc ſtagnum traiecerant: nunc autẽ quando Chriſtum ſecum vehunt, tantus procellarum exortus eſt tumultus, vt animum ſuum abiecerint & omni ſpe vitæ deſtituti fuerint. Ita ſubinde fieri ſolet, vt qui in hoc ſeculo vocationi diuinæ nondũ obſequitur nec præceptis Dei obtemperat, feliciſſimam vitam ſine vllo externo rerum ſuarum diſcrimine viuat. Cùm vero ad ſe in nauim recipit Chriſtũ, hoc eſt, cùm incipit Chriſti obedire mandatis, mox oriũtur omnia afflictionũ & aduerſitatum genera. Eaque Deus ſuis electis immittit varijs ex cauſis.

Quarum vna hæc eſt quia tribulationes nos à peccatis purgant. tanquam enim aurum in fornace purgat, & varijs aduerſitatibus probat electos ſuos Dominus. nã quod

lima ferro, flagellum tritico, torcular vino, fornax auro, prælum oleo, ſapo veſtimentis: hoc tribulatio & lingua maledica eſt electis. Sic Dauid, cui incerta & occulta ſapientiæ ſuæ reuelauerat Deus, dixit cùm malediceretur à Semei viro peſſimo, Dimittite vt maledicat mihi, ſi forte reſpiciat Dñs afflictionem meã & reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna. Sic Maria ſoror Moyſi per lepram, quæ homines facere ſolet abominabiles, purgata eſt. In tempore ſiquidem tribulationis Deus electis peccata dimittit.

Altera cauſa eſt, quia tribulationes nos à peccatis præſeruant. Sic ſtimulus carnis Angelus ſatanę apoſtolo Paulo datus eſt, vt eum colaphizaret, ne magnitudo eũ extolleret reuelationũ. Sic multi multa mala facerent, ſi corpore ſani eſſent, ſi poteſtate præditi forent, ſi acrimonia ingenij pollerent, ſi diuitijs abundarent. Filij Iſrael in dura ſeruitute Aegypti boni fuerũt: liberati autem ſæpe Deum ad iram prouocauerunt. Dauid in longa illa & graui, & periculis plena perſecutione Saulis, innocens & mundo corde permanſit: regno autem potitus & ocio vacans adulter factus eſt & homicida. Rurſus populum numerari curauit fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuę. hinc Dominus in hac vita ſubinde flagellat ſuos, vt eos probet, atque in ſuo officio contineat. Vtilior igitur plerunque electis aduerſitas proſperitate eſt, infirmitas ſanitate, paupertas diuitiarum copijs, ſubiectio humilis poteſtate, ignobilitas claritate parentum.

2. Cor. 12.

Tertia cauſa eſt, quia aduerſitates nos ad Deum ire cõpellũt. hinc Pſalmiſta, Multiplicatę ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt. Rurſus, Cùm occideret eos, quærebant eum & diluculo veniebant ad eum Sic Nabuchodonoſor humiliter de ſeipſo ſentire cœpit in ſua afflictione qui prius in abundantia ſua & gloria ſuperbus fuerat. Sic filius prodigus in paupertate & inopia à diaboli laqueis reſipuit, qui in abundantia à patre receſſit. Sic filius reguli febribus æſtuauit, vt occaſione infirmitatis corporalis & pater & filius & tota domus per Chriſti gratiam conuerterentur ad fidem. Et niſi mulier Cananæa ex diro cruciatu charæ prolis occaſionem accepiſſet accedendi ad

Pſal. 77.

Chriſtum

Christum,& mater & filia in suis delictis & infidelitatis nexibus mortuæ fuissent. Sic multi infirmitatibus grauati à diaboli laqueis resipuerunt & ad cor redierunt, vitamque æternam promeruerunt, qui nisi Dominus manum suam super eos paululum extendisset, damnati fuissent. hinc dominus Deus omnes maledictiones suas & plagas olim super Iudæos induxit, vt ad eum reuerterentur & de peccatis suis pœnitentiam agerent.

Quarta causa est, quia per aduersitates homo meretur vitam æternam. Id enim quod in præsenti est, momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriç pondus operatur in nobis. & qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. nam pati propter Christum magnam habet remunerationem.

2.Corinth.4.

Propter has igitur, & similes causas qui Deo ex toto corde seruire intendunt, multas & varias patiuntur aduersitates. hinc dixit angelus Raphael ad Tobiam, Quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te. vnde contra eum, qui se parat ad Christi militiam, armatur nõ solum diabolus, verum etiam subinde totus mundus. Alius enim, quod incipis vana mundi relinquere desideria, & pœnitentiç facere opera, te ridet: Alius dehortatur, & dissuadet: Alius tuo honori detrahit: Alius obiurgat: Alius te suo exemplo scandalizat. Et e centum non inuenies vnum, qui te confortet, promoueat, & ad bonũ perfectionis extimulet. Siquidem quod Paulus ait posterioris ad Timoth. tertio c. Verum est, vt est sane verissimum quoniam omnes, qui pie volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Recte ergo admonet sapiens vnumquemque nostrum dicens, Eccl.2.a. Fili accedens ad seruitutem Dei sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. hoc autem nemo ita intelligat, quasi perpetuum & certum signum sit verę pietatis, vbi multæ sunt aduersitates, vbi multæ tribulationes. habent enim & mali subinde, imo sępenumero in hac vita suas afflictiones, suaque flagella: idque vt corrigantur aut si corrigi nolunt, vt & hic, & in futuro perpetuas luant pœnas.

Tob. 12.

DOMINICAE QVARTAE POST EPIPHANIAM DOMINI, CAPVT II.

ITA *vt nauicula operiretur fluctibus.*] Apud nostrum hunc Euangelistam bis periclitatam inuenimus nauim apostolicam. semel nocturno tempore, vt habemus Matth. 14. Nauicula, inquit, in medio mari iactabatur fluctibus. Id autem accidit quando aberat Iesus. Verum quid mirum in Ecclesia nasci tumultus, quando abest Iesus? quoties enim ibi non adest spiritus Christi, tunc huius mundi spiritus miserrime iactat & conturbat Petri nauiculam. quid etiam mirum illic non esse salutiferum concilium vbi tantæ sunt tenebræ, vt Iesum aduenientem non agnoscant, & ad seruatoris aduentum expauescant, phantasma noxium esse suspicantes. Etsi Iesus illos nota voce allocutus non fuisset, metu fuerant exanimandi. Tunc Petrus in fluctibus cum Iesu quàm in naui periclitante esse, tutius iudicauit.

Rursus periclitatur nauis hic apud eundem Euangelistam præsente quidem Iesu, sed altùm dormiente. nam caput innixum fuisse ceruicali, addit Marcus: Dormit autem in nobis & in cordibus nostris, quoniam nostræ fidei obliuiscimur. quid autem mirum periclitari nauim, quãdo nos obliuio fidei tenet? Apostolus enim ad Ephesios tertio dicit Christum per fidem habitare in cordibus nostris. Vbi autem languet fides, friget charitas, deficit timor Dei, & deuotio; ibi merito Christus dormit. quis autem non videt Christum in multis hominibus hoc pacto dormire? Dormit enim tepidis, vigilat feruidis. Cui autem dubium, quin omnia nostra vergant in interitum, si quando in nobis deficit fides, perit deuotio? Imitemur igitur Petri fidem; & Iesus ilico in nauim reuersus, omnem sedabit tempestatem. Sequitur:

ipse vero dormiebat.] nimirum in puppi, id est, in posteriori parte nauis, super ceruical. vt dicitur Marc. 4. Sed quid sibi vult suppositum capiti ceruical? nónne is erat, qui dixit; filius hominis non habet vbi caput suum reclinet?

net? quid autem est, non habet vbi caput reclinet? certe diuersorium habebat Iesus, & consentaneum veritati est, illi non defuisse culcitram, in qua dormiret. Sed qui nihil habet in hoc mundo cui innixus animus acquiescat, sed totus inuigilat studio rerum cælestium, is non habet vbi caput reclinet. O quàm molle ceruical est ambitioso summus honor tandem per fas, nefasque obtentus! O quàm dulce ceruical est admiratori diuitiarum res domi pulchre aucta & constabilita! qui sic funguntur magistratu vt non alijs, sed sibi gerant: qui cogitant episcopatum regnum esse, non opus, his est ceruical quod ad somnum inuitet. Verum qui existimant episcopatum opus esse, non regnum: his non est ceruical, quod ad somnum alliciat: sed crepitaculum potius, quod non sinat obrepere somnum.

Ceterũ quod hic Christus dicitur dormiuisse, hoc haud dubiè non per simulationem fecit, sed vere ac naturaliter. nam sicut verè esuriuit, sitiuit, & defatigatus resedit super puteum, fleuit, & reliqua (vnico excepto peccato) quæ sunt humanę infirmitatis ad instar reliquorum hominum in se habuit. Ita etiam vere & naturaliter vt alius homo, dormiuit. quod ideo factum est, quia si vigilantem Dominum vidissent, aut non adeo timuissent, aut petere ab eo salutem, quod pericula eorum videret, neglexissent: aut non posse ipsum fluctus sedare putassent. Propterea Christus dormire voluit.

O res mirabilis & stupenda, dormit in somnum, qui populum suum vigilia æterna custodit! Is qui nunquam obdormit, dormit. Is qui cælum & terram gubernat, dormit. Is qui nunquam dormit neque dormitat, ipse dormire dicitur. Dormiebat quidem corpore sed vigilabat Deitate, quomodo quum ad fontem veniret, fatigatus etiam legitur. Dormiuit igitur secundum naturam humanam vt se verum hominem demonstraret, & euidenter veritatem in se assumpti humani corporis exhiberet. nõ autem secundum diuinitatem, cùm in illam Dei æternam naturam somnus non cadat. secundum quod de eo legimus dictum. Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel. neque secundũ intellectiuam animæ partem,

Origenes.

Ioan. 4.

Psal. 120.

tem, secundum illud Cant. 5.a. Ego dormio & cor meum vigilat. sed duntaxat secundum sensitiuam animę portionem quamobrem Christus in corpore constitutus nō ita dormiebat vt ignoraret tempestatem maris & exorta ventorum procella cognitionem eius per altitudinem saporis excederet: sed dūtaxat corpore dormiebat, virtute autem vigilabat. Verum quamuis secundum sensitiuam animæ partem dormierit: non credas tamen eum id fecisse ex infirmitatis humanæ necessitate sed potius ex rationis deliberatione & spontanea voluntate. Rationis enim iudicio ac voluntatis imperio corporalis natura & sensitiua animæ pars in Christo prorsus erat subiecta. Tametsi enim causę, ex quibus naturaliter oritur somnus, videlicet ascēsus vaporum ad cerebrum & fatigatio corporalis naturæ vere in Christo fuerint, tamen rationis eius imperio subiacebant. non ergo metu & pauore obdormiuit, quemadmodum Ionas, sed securitatē quodā modo declaraturus. In cuius signum accipere possumus ceruical, quod illum capiti suo subiecisse Marcus testatur. Vnde per illam adumbratam securitatem Deus declaratur.

Ionæ primo.

Porro per hanc dormitionem mysticè intelligitur dilatio diuini auxilij ad succurrendum nobis tantis tribulationibus agitatis. Siquidem dormire in scriptura sacra dicitur Deus, quando electis suis in tribulationibus huius mundi constitutis tardius subuenit, aut impios non statim punit. quod tamen non facit sine rationabili causa. Christus enim dormit & non statim in nostris tribulationibus nobis præstat auxilium, vt homo inde magis humilietur, & suam fragilitatem & infirmitatem magis agnoscat. Experimur enim & discimus quàm omnia nostra vergant in interitum, si quando Dominus illa non curauerit. Recte enim alibi dicit, sine me nihil potestis facere. Et subinde sinit nos nostra ꝓ nostro arbitrio agere, vt dū consideramus quàm nihil proficimus, cōtinuo ad eū, vt ei collaboremus, reuertamur: & vt propter istas tam crebras ventorum & procellarum suam nauiculam perturbantium impulsiones ad eius auxilium recurramus. hinc etiā permittit varias hæreticorū importunitates, vt sacræ scripturæ sensus & intelligentia diligentius à nobis requiratur, &

tur, & sacrarum literarum studium maiori vigilantia ad fidei confirmationem & falsitatis confutationem exerceatur. Denique variam persecutorum admittit tyrannidem, vt sanctorum martyrum patiētia probetur. quapropter Christus fuit quasi dormiens in naui, quando ad vtilitatem Ecclesiæ ad tempus distulit tyrannorum rabiem & hęreticorum insaniam compescere. Econtrario vigilat, quando in defensionem electorum suorum, & in vltionē inimicorum suorum se manifestum demonstrat Deum. Sequitur:

Et accesserunt ad eum discipuli eius.] Ecce ad quem in periculis & necessitatibus cōfugere debeatis exemplo & ipsorum discipulorum & ipsius Iosaphat nos id sic docentis secundi Paral.20. c. Cùm ignoremus, inquit, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui vt oculos nostros dirigamus ad te o Deus. hinc prioris Petr.5.b. Omnē solicitudinem vestram proijcite in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. vnde & Dauid: Ego autem mēdicus sum & pauper, & Dominus solicitus est mei. Sicut igitur omnes qui à principio mundi sancti & pij fuerūt homines, semper recursum omnem & refugium suum habuerūt ad Dominum, sic & nos omnes facere debemus. Imo Dominus sæpe nos in bono torpentes excitat & per tribulationes & aduersitates impellit, vt ad eum cōfugiamus & eius opem imploremus. Sicut & Dauid dicit de seipso: Ad Dominum cùm tribularer clamaui. Et de alijs quoque Psal. 106. a. Et clamauerunt ad Dominū cùm tribularentur & de necessitatibus eorum eripuit eos. Longe enim plures ad cælum perduxit aduersitas quàm fortuna secūda & adulatrix lætitia. vnde quicquid tibi aduersi accidit, veluti nuncium suscipe Dei. Statim enim aduersitas vrget, & vel inuitū impellit ad Deum. hinc sequitur:

Psal. 39.

& suscitauerunt eum,] non ergo satis est ad Dominum in nostris tribulationibus accedere, sed insuper requiritur vt eum exemplo apostolorum suscitemus dicentes cum Dauide, Exurge quare obdormis Domine? Exurge & ne repellas in finem. quare faciem tuam auertis? obliuisceris inopiæ nostræ & tribulationis nostræ? Exurge Domine adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum.

Psal. 43.

Ceterum quamuis diſcipuli, quia magno erant metu perterriti & penè animo alienati, irruerent in eum & non leniter & modeſte ſuggererent, ſed illum turbulenter excitarent; tamen nos ſi quando differt auxilium à nobis poſtulatum, oportet excitemus eum ſuauiter & dulciter cum fide ſine deſperatione, cum perſeuerantia abſque impatientia.

dicentes: Domine ſalua nos, perimus.] vbi Marcus dicit: Præceptor non eſt tibi curæ, quod perimus, Lucas vero, præceptor perimus. quidam hoc, quidam illud dicebant: & alij vnum, alij aliud, aut etiam omnes omnia. quæ & nos ſi quando periculum occurrit, dicere debemus. qui enim hæc dicit, nihil aliud quàm ſalutem quærit. hoc autem iuſtorum eſt, vt cùm ſe tentari viderint, adiumentum depoſcant. Ex nobis enim nihil habemus niſi vnde perimus. Sed illi de ſalute corporis loquuntur, nós vero de ſalute animæ intelligemus. nullus enim ſanctorum ſalutē corporis, contra animæ ſalutem deſiderat.

Porro quamuis Apoſtoli de ſalute corporis loquuti ſint, eamq́ue ſummis deſiderijs exoptauerint; tamen eos id feciſſe ſalua patientia videmus. non enim murmurant dicentes, nos ſequimur te, vt melius nobis ſit. Et tamen ecce te præſente hanc aduerſitatem patimur, quam nunquam te abſente paſſi ſumus. quamuis enim nos piſcatoriam artem exercentes ſæpiſſime hoc mare pertranſiuerimus te abſente: tamen nihil tale paſſi ſumus, quale periculum iam experimur te præſente. quapropter niſi nobis opem tuleris, te relinquemus & ſocietati tuæ abrenunciabimus. nihil tale dicunt Apoſtoli, nec murmurant aduerſus Dominum: ſed potius apud Dominum ſuis precibus inſtant, dicentes: Domine adiuua nos, perimus. quemadmodum olim & Pſalmiſta orauit ad Dominum, Adiuua me Domine & ſaluus ero: & meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper.

Pſal. 118. Samech.

ENAR-

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICAE QVARTAE POST EPIPHANIAM DOMINI, CAPVT III.

ET DICIT *eis Iesus, quid timidi estis modicæ fidei?*] Marcus habet, necdum habetis fidem? Lucas autem, vbi est fides vestra? quasi dicat: Si potentem me in terra esse creditis, quare non simul in mari me vt verè Deum & creatorem omnium intelligitis? quare nõ omnia à me facta in mea esse potestate creditis? An putatis quod vobis me dormiẽte quicquam euenire posset periculi, quod me vigilante non accideret? Verum iam animaduerto quid vobis desit. Putatis me ignorare ea, quæ me dormiente fiunt, quasi per somnum vsus meæ rationis ligaretur, atque impediretur. In quo mirum in modum à via veritatis aberratis. nam quamuis secũdum sensitiuam animæ portionem, vt cæteri homines, dormiam: nõ tamen secundũ intellectiuam. mea namque anima à principio suæ creationis & cũ verbo æterno vnionis semper omnia actualiter siue dormiam, siue non dormiam, intelligit. Secundũ illud Cant. 5. a. Ego dormio & cor meum vigilat. Cur igitur non creditis me illud idem scire dormiẽtem, quod me videtis nosse vigilantem? An forte putatis me quicquam præstare posse vigilantem, quod nõ creditis me posse dormientem? Sed quare vigilans vos tueri possem, dormiens non possem? quare non creditis me illud idem posse dormientem, quod creditis præstare posse vigilantem? quare nisi quia modicæ fidei estis? si enim perfectam de me fidem haberetis, me dormientem æque potentem vt vigilantem cognosceretis. Imo & ipsi tempestati imperassetis, moxque cessasset. nam si fidem sicut granum sinapis haberetis: huic monti, tollere & mitte te in mare, diceretis: & obediret vobis. Omnia enim possibilia sunt credenti. hinc apostolus ad Eph. 6. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. & 1. Ioan. 5. Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Si igitur fidem perfectam haberetis, nõ solum nõ timeretis; verum etiam quod velletis faceretis, & ven-

tos & mare placaretis. In quo vobis ostendo, quod timorem non generat tentationum inductio, sed modica fides & mentis imbecillitas. nam etsi mors irrueret, merito hác fide corroborati constantissime sustinere deberetis. quare igitur timetis, nisi quia fidem modicā habetis? quòd enim timidi estis, non tempestati, sed vestræ modicæ fidei imputandum. si enim perfectam fidem haberetis, propter tempestatem non timeretis; cùm scriptum sit: Etsi ambulem in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. quamobrem Dominus volens eos aduersus omnes quantumuis atrocium malorum insultus, intrepidos & inuictos reddere, tantam eorum formidinem increpauit dicens: quid timidi estis modicæ fidei? quasi dicat: Dominum seruatorem vobiscum habetis, & periculum timetis? Vita vobiscum est, & de morte soliciti estis? vnde fragiles in fide & qui pusillum credunt, pie arguentur: Alieni autem à fide, omnino punientur, sicut olim & nunc quoque obstinatis Iudæis, simul & Ethnicis contigit. Sequitur:

Tunc surgens imperauit ventis & mari,] Sed quare hoc? vt omnibus indicet, quantam nostri gerat curam. nunquam enim Deus spreuit humilium preces, quin tandem eas exaudiret. hinc Hierem. 29. c. Cùm quæsieritis me in toto corde vestro, inueniar à vobis. hinc dicit & Sapiens Eccle. 2. b. Respicite filij nationes hominum & scitote, quia nullus sperauit in Domino & cōfusus est. quis enim permansit in mandatis eius & derelictus est? Aut quis inuocauit eum & despexit illum? Prope est enim Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate. Sequitur:

& facta est tranquillitas magna.] quo magis perspicuum esset, hæc non geri viribus humanis, sed virtute diuina. nam consuetudo est, quando fit tempestas in mari quod duobus diebus mare totaliter nō sedatur, nihil enim impetuosius mari commoto: & tamen ad Domini iussum statim versum est in summam tranquillitatem, & de magna turbatione statim facta est tranquillitas magna. magnum enim magna decent. vnde qui prius magnifice conturbauit profundum maris: nunc iterum tranquil-
litatem

litatem magnam ſtatim & in inſtanti fieri iuſſit. quoniam virtus diuinitatis Chriſti cùm ſit infinita, rem in inſtanti peragit. Dei enim perfecta ſunt opera. Dum igitur Chriſtus hoc modo violentos maris fluctus diuinæ poteſtatis verbo compeſcuit, diuinitatis ſuæ potentiam declarauit. Ventum enim & mare ſubiecta habere ad nutum non cõuenit niſi ſoli Deo. quapropter non niſi diuina potentia facta eſt hæc tranquillitas magna, imo tam magna vt maior ante nunquam in mari viſa ſit. quæ enim diuino fiunt miraculo, magnificẽtiora & perfectiora ſunt his, quæ naturaliter eueniunt. hinc vere loquitur Propheta Pſal. 106. c. Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ & ſiluerunt fluctus eius: & Pſal. 148. Laudate Dominum de terra, dracones & omnes abyſſi, Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarũ, quæ faciunt verbum eius. Creatura bruta vocẽ audit creatoris. quam enim increpauit, & cui imperauit, ſenſit imperantem: non errore hęreticorum, qui omnia putant animantia: ſed maieſtate cõditoris, cui omnia, quę apud nos inſenſibilia ſunt, ſenſibilia eſſe inueniuntur. Iubet (inquit Origines) mari, & non contemnit, dicit ventis & tempeſtatibus, & mox compeſcuntur. Iubet omni brutę creaturæ, & non ſupergreditur iuſſionem eius. Si autem ſub iuſſione Chriſti mare audit, tu ſurdus eris? Si vẽtus ex præcepto Chriſti ceſſat, tu ſufflabis? imitare igitur vẽtos & mare, & tuo obtempera creatori. Sequitur:

Porro homines mirati ſunt.] vbi ſi quæris, qui nam iſti fuerint homines, en tibi Euangeliſta Lucas hoc idem euãgelium capite ſui Euangelij octauo deſcribens reſpõdet hos fuiſſe diſcipulos. nam eoſdem aſſerit tranquillitatem factam fuiſſe admiratos, quos prius ad Dominum à ſomno excitãdum narrat fuiſſe ſollicitos. Et merito diſcipuli homines vocantur, qui ſicut homines necdum potentiã ſeruatoris ſcientes mirantur. nondum enim Deum eſſe credebant, quem quaſi hominem nunc dormire, nunc vigilare, nunc nauigio vti videbant. nam hæc omnia eum eſſe, hominem prædicabant.

Ceterum diſcipulos & reliquos præſentes magis duxit in admirationẽ hoc miraculum quàm præcedentia. quia nullus vnquam tale quippiam operatus eſt. neque enim

virgam

virgam extẽdit vt Moyses: neque pallium aquis admouit vt Helias, sed cum authoritate præcepit vt dominus seruis,& creator creaturis & solo verbo maria & tempestates quiescere fecit. quo facto illi cõsiderauerunt mare ex imo profundi concitatum statim sedatum,ipsosque adeo sedatos ventos, & subitam serenitatem ex ventis & mari tam repente præter naturã exortam. Alias compositis iam ventis fremitus maris & æstus aquarum non statim sedantur. vnde merito dicere potuerunt cum Psalmista: A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Verum Euangelista narrat eos dixisse;

Psal. 117.

qualis est hic?] scilicet qui sicut homo videtur, & sicut Deus potentiam ostendit: qui sicut homo dormit & sicut Deus miracula facit: cuius iussis mare & venti obediunt, cuius increpationẽ salũ & ęther expauescũt. quasi dicant: nõ est purus homo,sed verus Deus. vnde discipuli hoc dixerunt nõ quærẽdo sed asserendo. ac si dicant: q̃ magnus, q̃ fortis, q̃ potens! nã omnino præ se fert quiddã homine maius. quoniam nõ solum morbi ac dæmones: verũ etiã venti & mare iussis ipsius obtemperant. hinc sequitur:

quia venti & mare obediunt ei.] non quòd animam rationalem habeant,sed quia ad modum obedientis se habent, quando statim (vt manus & membra animæ) ad eius nutum mouentur, vel quiescunt. Solus autem homo ingratus,superbus,obstinatus, cognoscens voluntatem Domini obdurat cor suum,non vult ambulare in lege Domini: sed contra Deum erecto collo currit, & dicit, nõ seruiam tibi: nolo obedire mandatis tuis, post concupiscentias meas ibo & ambulabo. O ingratitudo! O malitia & nequitia! O obstinatio hominum mente corruptorum, qui Deum contemnunt & homines non reuerentur. qui præcepta eius præuaricantur, eius consilia derident & spernunt. O impietas ter maxima! O scelus auditu horrendũ, & dictu mirabile! Omnis ecce creatura bruta creatoris obedit imperio: & solus homo qui secundum similitudinem Dei honorificatus est,cui prudentia data est, Deo resistit. Ob id solus in iudicio damnabitur, & à iustitia punietur, veluti deterior multis animalibus, vel his qui sine spiritu,& anima sunt in hoc mundo.

ENAR-

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICÆ QVINTÆ, POST EPIPHANIAM DOMINI,

CAPVT PRIMVM.

Euangelium Matthæi decimo tertio d.

IN ILLO *tempore dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile factum est regnũ cælorum homini qui seminauit bonum semen.*] Regnum cælorum hic accipitur secundum eum, qui corregnat, & regit: estq; Christus filius hominis. hic autem similis est homini, qui bonum seminauit semen in agro suo. nam sicut homo aliquis bonũ in agro suo seminat semen, & difficulter admodum malum seminaret semen: ita quoque Christus Iesus seminat in mundo non malum, sed bonum semen.

Quid autem per bonũ semen intelligendum sit, Christus in hoc eodem capite aperit, dicẽs: Bonum vero semẽ, hi sunt filij regni. vnde manifestum est, quod in hac parabola per bonum semen nõ intelligitur verbum Dei, sed significantur homines boni & virtutibus præditi, quos Christus constituit, mittit, ac spargit per vniuersa mundi climata, sicut semina sparguntur in agris. Hoc modo pro semine seminato, quod est homo, accipitur semen Gene. 3. vbi dicitur: Inimicitias ponam inter te & mulierem, semen tuum, & semen illius. Et Esai. 1. Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semẽ, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorra similes essemus. Et similiter Esai. 6. Semen sanctum erit id, quod steterit in ea. Et Esai. 53. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum. Et rursus Esai. 61. Omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. vnde & Galatis scribit Apostolus: Si vos vnum estis in Christo: ergo semen Abrahæ estis secũdum promissionem hæredes. Sequitur:

in agro suo.] per agrum autem intelligitur mundus: ſicut ipſemet Chriſtus in hoc eodem Euangelij capite aſſerit, dicens: Ager autem eſt mundus. vbi mundus non in malam ſed in bonam partem accipitur. quemadmodũ & Ioan. 3. capitur, vbi dicitur: Sic Deus dilexit mundum vt filium ſuum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eũ non pereat, ſed habeat vitam æternam. non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Et apud Paulum poſterioris ad Corinth. 5. Deus erat in Chriſto mundum reconciliãs ſibi; qui ſibi vtique non reconciliat niſi Eccleſiam. quare mundi nomine Eccleſia ſignificata eſt, non ſolum in his, verum etiam multis alijs ſacræ ſcripturę locis: idque quia per vniuerſum mundum diſperſa eſt, & in hoc mundo aduentum ſui Saluatoris expectare cogitur. In hunc ergo agrum, in hunc mũdum, in hanc Eccleſiam per vniuerſum mundum diſperſam ſeminauit filius hominis bonum ſemen, vnde etiam enati ſunt boni fructus. Dedit enim Eccleſiæ veram doctrinam, dedit veros Apoſtolos, quorum miniſterio ędificati pij homines mirabilem fructum attulerunt. Sequitur:

Cùm autem dormirent homines,] hoc eſt, cũ præpoſiti humani generis nimirum ſancti Apoſtoli (qui prænouerant quod hæretici in Eccleſia ſe miſcerent tritico, quodque poſt diſceſſionem eorum intrarent lupi rapaces in bonos) dormirent ſcilicet per dormitionem mortis. Vel cùm epiſcopi & paſtores, qui poſt mortem apoſtolorum ad cuſtodiam Chriſtiani gregis deputati ſunt, dormirent, id eſt, ſecuri eſſent, & nihil ſubeſſe periculi putarent, & aſtutias diaboli non aduerterent, aut eaſdem diſſimularent, quia aut damnum non intelligebant, aut curare non didicerant: & ob id negligentius agerent, venit inimicus patrisfamilias.

Tripliciter autem contingere poteſt vt epiſcopi & paſtores negligenter, quod ſui muneris eſt, agant. Imprimis cùm inertia torpent & à diligenti cuſtodia commiſſi ſibi gregis ceſſant. De qualibus ſcriptũ eſt Eſai. 56. ſpeculatores cæci, canes muti non valentes latrare, videntes vana & dormientes, vel cum reſoluuntur laſciuia & ſtudent calicibus ex-

cibus epotandis, quando paſcunt ſemetipſos & non paſcunt gregem Domini nec paſtu verbi Dei & ſanæ doctrinæ, nec paſtu ſanctitatis & bonis exemplis. Vel cùm ſtudent diuitijs accumulandis, & cùm quæ ſua ſunt quærũt, non quæ Chriſti Ieſu. Cum, inquam, hoc modo dormirẽt epiſcopi & paſtores *venit inimicus eius,*] videlicet diabolus qui Chriſti eſt inimicus. Venit, inquam, non vocatus, nec accepta commiſſione à Deo. venit non aperte, ſed occulte & clam, ne dolus deprehendatur. Transfigurat ſe in angelum lucis, ne videatur aduerſarius. ſic olim gentes inſtigabat & maxime Iudæos in odium Chriſti & Euangelij, ſed ita occulte, vt arbitrarentur ſe obſequium præſtare Deo. Venit in veſtimento ouis pacem loquens cum proximo ſuo, mala autem habens in corde ſuo. offert vinum dulce, ſed veneno permixtum. Venit ſicut fur, ſicut latro, ſicut lupus, ſicut crudeliſſimus inſidiator, vt perimat & perdat. Venit quia tanquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret. nec dormit niſi malefecerit, nec ceſſat niſi ſupplantauerit. homines autem etiam poſt vocationem & acceptum Dei mandatum venire nolunt, & ante laborem ſomno indulgent. Vtinam tam eſſemus ſollitici & diligentes, vt bene faciamus; atque diabolus eſt, vt male agat.

Verum hic quæſtio eſt, an diabolus ſit inimicus Dei, & an aliqua creatura poſſit odio habere Deum? & apparet quod non, quia ratio mali eſt cauſa odibilis: ſed ratio mali non eſt in ſummo bono, quod eſt Deus: ergo Deus qui eſt ſummum bonum, non poteſt haberi odio. Dico hoc argumento bene cõcludi quod nulla creatura, ne diabolus quidem poteſt ipſum odiſſe in ſua natura, & ſubſtantia. nam in ſua natura eſt ſummum & altiſſimum bonũ, in quo nulla eſt odibilis ratio. Dæmones tamen veriſſime Deum in ſuis odio habent effectibus. nam aliqui Dei effectus diſplicent eis: nimirum quod contra voluntatem ſuam puniantur, quodque ad voluntatem ſuam punire homines non permittantur. & ideo quamuis Deum in ſua eſſentia odio non habeant: tamẽ eum in operatione eius, qua eos affligit, odio proſequuntur: hinc Pſal. 73. Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper. Vel diabolus

dicitur inimicus Christi, quia Deus in paradiso inter diabolum & semen benedictum mulieris posuit inimicitias. hinc semper nobis cogitandum est quod diabolus quantumcunque blande nos aggrediatur; tamen semper inimicus noster sit, amicus autem nunquam. hinc sequitur:

& superseminauit zizania.] Rogabis forsitan, quænā sint illa, quæ significantur per zizania? Dico quod omnes filij mali. hinc Seruator in hoc eodem Euangelij capite, zizania autem, inquit, filij sunt nequam. Filij autem nequā intelliguntur omnes, qui iniquitatem faciunt & qualiacumque scandala alijs exhibent: sed tamen specialiter hæretici. Tria namque sunt malorum genera. videlicet praui Catholici, schismatici, & hæretici. Inter quos hæretici quia pessimi, potissimum zizania appellantur. nam mali Catholici & illi qui in eadem fide mali sunt, paleæ potius quàm zizania deputantur: quia palea etiam fundamentum ipsum habet cum tritico, radicemque communem. De quibus dicitur Matth. 3. c. Congregabit triticum in horreum meum: paleas autem comburet igni inextinguibili. Schismatici vero videntur spicis corruptis esse similiores, vel paleis aristarum fractis, vel scissis, & de segete abruptis, quàm zizanijs. quo enim altiores, hoc est, superbiores: eo fragiliores, leuioresque sunt. Hæretici igitur proprijssime zizania sunt, nec nomen, quod congrueret eis magis, dari potest. Interim tamen verum est, quod in hac parabola Dominus, sicut in eius expositione conclusit, non quædam sed omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, zizaniorum nomine significasse intelligitur, hoc est, non solum hæreticos, verum etiam omnes alios malos; vt ex textu manifestum est.

Augustinus.

Porro cum hic diabolus in medio tritici zizania superseminasse dicitur, non ita accipiendum est, quasi diabolus malos, Deus autem bonos creauerit. nam Satanas neminem, neque bonum, neque malum creauit, sed à Deo creatos postea malos efficit non cogendo, sed suadendo. hinc Gene. 1. dicit Dominus: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. viditque cūcta Deus quæ fecerat, & erant valde bona. Et Eccle. 15. c. Deus ab initio constituit hominem rectum, & reliquit illum in manu

consilij

consilij sui. Adiecit mandata & præcepta: Si volueris mãdata seruare, conseruabunt te. Et Sapien. 2. d. Deus creauit hominem inexterminabilem & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. Imitatione igitur, nõ creatione mali, homines diaboli esse dicũtur. quemadmodũ ex Christi verbis Ioã. 8. manifestũ est. Vos, inquit, ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. vnde & Paulus ad Rom. 8. dicit: An nescitis, quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius, cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiã? Igitur quod homines in mundo sunt, Deo, à quo creati sunt, debent. quod autem boni sunt, Deo qui eos bonos fecit ac in bonitate cõseruauit acceptum ferre debent. quod verò alij mali sunt, diabolo & propriæ suæ voluntati deputare debent. Sicut enim Deus ad pietatem neminem compellit: sed potius voluntatem hominis præparat, vt libere bene velit: ita & diabolus neminem vi cogit sed duntaxat persuadet si potest, vt homo illum libera voluntate sequatur. quamobrẽ Seruator notanter dicit: superseminauit zizania: quia prius fuerunt boni quàm mali: Catholici quàm hæretici. hinc 1. Ioan. 2. c. Ex nobis prodierunt sed non erant ex nobis. nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum. Diabolus enim videns Ecclesiam ditari, inuidit & superseminauit zizania, & mouit corda hæreticorum, vt magis noceret. Inuexit abusus; corrupit, & adulterauit doctrinam. Sequitur:

in medio tritici,] hoc est, nõ in agrum suum, sed in agrũ Domini. quia agrum proprium nullum habet. vnde mala sua semina semper spargit in agrum alienum, nempe Dñi. nam cælum, paradisus, mundus, Ecclesia, cor hominis, omnia sunt Dei, non diaboli. quapropter mentitus est, quando Christo omnia mundi regna, eorumque gloriam se daturum promisit.

Præterea dicit, in medio tritici, hoc est, in medio Catholicorum & bonorum, non autem in medio gentilium. non enim laborat diabolus vt aliqui inter gentiles sint hæretici. nam omnes gentiles possidet. nec etiam prope

triticum, aut in angulum aliquem aut in locum ab alijs ſeminibus nudum & liberum, vt liberius ſuccreſcere poſſit lolium, ſed ſeminat in medio tritici, quia magis laborat vt tritico impedimentum afferat, quàm vt lòlium augmentum capiat. magis enim quærit, vt triticum ne ſuccreſcat impediatur, quàm vt lolium augmētetur. Amplius enim alienum incommodum quàm proprium commodum quærit. Id quod proprium inuidorum eſt. vnde maxima manifeſtatur diaboli malitia.

Sed dices fortaſſis cum beato Auguſtino, ſi zizaniorum nomine potiſſimum intelligendi ſunt hæretici: igitur male dicuntur zizania in medio tritici ſuperſeminari. nam per zizania in medio tritici ſeminata, quaſi videntur illi ſignificari, qui vnius cōmunionis ſunt. Veruntamen quoniam Dominus agrum ipſum, non Eccleſiam, ſed hunc mundum interpretatus eſt, idcirco bene per zizania intelliguntur hæretici: quia non ſocietate vnius Eccleſiæ, vel vnius fidei, ſed ſocietate ſolius nominis Chriſtiani in hoc mundo permiſcentur bonis. hæc Auguſtinus. Hinc res ipſa loquitur, quod boni hic ſunt cum malis permixti. nulla enim ſocietás eſt adeo bona, quin in ea aliquis ſit prauus. An non & in ſocietate apoſtolorum vnus extitit Iudas? Et hoc eſt, quod dicitur Tob. 4. Et in Angelis ſuis repperit prauitatem. Sequitur:

& abijt.] nimirum alio factum aliquid mali. quia ſemper terram circuit, & eam perambulat, quærens quem deuoret. vel abijt, id eſt, occultum ſe reddidit, ſeque & ſuam malitiam abſcondit. hinc Pſal. 9. Inſidiatur in abſcondito, quaſi Leo in ſpelunca ſua. niſi enim aliquando malitię ſuæ parceret, eamque occultaret, quàm facillime diſcerni poſſet. Iam vero quia ſe occultat, nec venit in nomine ſatanæ, ſed trāsfigurat ſe in angelū lucis, difficulter admodū agnoſcitur. & mala falſaque perſuadet ſub ſpecie verorū atque bonorum. Fingit ſe non zizania, ſed optimum ſemen ſeminaturum. vnde homines lupum ouina pelle tectum non agnoſcunt. quòd ſi vero vigilarent, hoc eſt, rem penitius expenderent, eamque propius preſſius à fronte pariter & à tergo contemplarentur: ſatanam ſic pro ſua libidine ſæuire in agrum Domini non permitterent. At dum

dum pastores siue agricolæ dormiunt, accedit ille perfidus & versipellis nequam. vnde deprehenditur diaboli astutia.

Vel abijt. videlicet cessando ad horam ab infestatione & tentatione. vt dū occultat laqueos, minus timeatur; & dum non timetur, melius prævaleat.

Vel abijt, quia homini ea ad votum non dat, quæ pollicitus erat, & infelix accipere sperabat. nam huius malitiæ est diabolus & doli, vt posteaquam deceperit hominem, eum tanquam proditorem cōtemnat, eumque a voti sui desiderio suspēsum relinquat. quia domino Deo suo fidelis non permanserat. Sequitur:

Cùm autem creuisset herba & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania.] hoc est, inter fideles & bonos in diuersis mundi partibus apparuerunt etiā homines praui. In principio enim quando seminati erant, non apparebant. quia hæretici in initio seipsos occultant, adeo vt agnosci non possint. postmodum autem quando maiorem fiduciam ceperunt, & quodam fauore multitudinis iuuantur, tunc contagiosa venena intrepidi effundunt. vnde fit vt ipsorum vitio & malitia tunc demum bonis patrisfamilias seruis prodantur. Verum quia textus ipse Euangelij apertè insinuat apparuisse zizania ex eo, quòd herba tritici creuisset & fructum fecisset; non autem ex eo quòd zizania creuissent, & suam malitiam exercuissent: ideo iuxta textum euangelicum causa apparitionis zizaniorum non tam est ipsorum zizaniorum malitia, quam ipsa insigniū seruorum patrisfamilias bonitas & spiritualis profectus. nam homo quando prauus est, non potest bonos à malis discernere, sed quando crescit per profectum fidei & eruditionis, & fructum facit per effectum boni operis, efficiturque spiritualis: tunc cognoscit hæreticos & omnia. hinc prioris ad Corinth. 2. dicit beatus Paulus: Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur.

Chrysost. interpretatio.

August. interpretatio præcedenti præfertur.

DOMINICAE QVINTAE POST EPIPHANIAM DOMINI, CAPVT II.

ACCEDENTES *autem serui patrisfamilias*,] hoc est, famuli Christi, nempe angeli iuxta Hieronymum: vel deuoti prælati & vicarij Christi in hoc mũdo iuxta Augustinum: Sed dices, si serui patrisfamilias sunt homines boni, prælati & vicarij Christi iuxta sententiam Augustini: ergo idem significatur per semen bonum & per seruos patrisfamilias. Dico hoc verum esse, nec esse inconueniens, cùm Dominus dicatur & ostium & ostiarius. Sequitur:

Accedentes, nimirum spirituali accessu per fidem. hinc Psal. 33. Accedite ad eum & illuminamini. vnde videmus fidelitatem seruorum, dum patremfamilias accedũt, ne tanquam proditores habeantur, & infidelitatis arguãtur. Sequitur:

dixerunt ei, Domine.] dum eum vocant Dominum, absolute insinuant, quod omnia potest, & quod in ditione eius omnia sunt posita: quodque omnibus dominatur. Sequitur:

nónne bonum semen seminasti in agro tuo?] hoc est, homines fide & opere Christianos posuisti & collocasti in mundo? quasi dicát: Vtique sic se res habet. nam sciebant quod ab illo nihil nisi bonum seminaretur. vidit nãque Dominus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. & ideo non rogant, quasi dubitent, sed ex vehementi admiratione huiusmodi verba proferunt: & vlterius rogant:

vnde ergo habet zizania?] quasi dicant, tu bonus es, & solus per naturam bonus, & semen tuum bonum, & ager similiter bonus, & omnia, quæ ex te proficiscuntur, sunt bona: vnde ergo habet zizania? quis tam audax, tam impudens, tam malus & tanta malitia obstinatus ac inuidia plenus, qui tuam potentiam non timuit, sed zizania superseminauit? quapropter hic inquirunt serui patris familias originem mali. Similis quæstio habetur Hier. 2. Ego autem plantaui te vineam electam, omne semen verum,

rum, quomodo ergo conuersa es mihi in prauum vinea electa?

& ait illis, inimicus homo hoc fecit.] hic Dominus ora omnium hæreticorum mala de Deo loquētium, nempe quòd author peccati & mali culpæ sit, obstruxit. hinc namque luce meridiana clarius est, quod malum culpæ nō prouenit ex prima origine & à Deo: sed oritur etiā quod in hominibus est, à diabolo. hinc Sapiens, Sapien.2.d.Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Si autē mors, ergo & peccatum. nam mors nisi peccatū præfuisset, in orbem terrarum non introiuisset.

Porro diabolus vocatur inimicus homo, quia hominē in paradiso sub rationis humanæ similitudine decepit: vel quia hominem seduxit & vicit. quemadmodū enim Scipio Africanus & Scipio Asianus vocantur, quia ille Africam, hic autem Asiam vicit & Romanis subiecit: ita quoque diabolus vocatur homo, quia hominem vicit, & sibi subiecit. Sequitur:

hoc fecit.] non cogendo, sed inclinando & suadēdo, nec sine consensu hominum. Idcirco hominibus imputantur, quæ instigante diabolo fecerunt. propter quod ait Apostolus Paulus ad Ephe. 4. Nolite locum dare diabolo. nimirum ne vobis imputentur, quæ propulsore diabolo à vobis perpetrantur. Sequitur:

serui autem dixerunt ei, Vis igitur imus & colligimus ea?] hic serui patrisfamilias duabus in rebus commendantur plurimum. Primò, quia zelo mouētur ad extirpationem malorum. Præsidium enim Ecclesiæ est, si quando vel per semetipsos intelligunt, vel per alios admonentur satanam disseminare zizania in triticum Domini, vt manus admoueant & quomodo triticum expurgari possit, diligenter prospiciant. hinc apostolus Paulus ad 1. Corinth. 5. d. Auferte malum ex vobisinetipsis. Id quod hoc tempore maxime, si vnquam prius, faciendum est. An non multi iam clamitant ac conquerūtur satanā seminasse multa & perniciosa zizania in agrum Domini? vt itaque illa radicitus extirpentur, prælatis Ecclesię, exemplo horum seruorum patrisfamilias, cura incumbere debet. Partim vt inde maior Deo gloria accrescat: partim vt hoc modo se no-

ſtris commodis ſtudere & cõgaudere; noſtris verò incommodis condolere manifeſtent. Debent itaque quantum in ipſis eſt parati eſſe exemplo iſtorum vt noſtra auertant mala, noſtra procurent bona. Deinde ſeruis patrisfamilias hoc laudi eſt ꝙ illud facere non proprio motu, ſed iuſſu domini voluerunt. vnde habemus Tob.4. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo vt vias tuas dirigat & omnia conſilia tua in ipſo permaneant. hinc iam exploratum eſt, quanta erga patremfamilias bonorum ſeruorum ſit reuerentia, & ſimiliter quanta inimici impudentia. nam hic irrequiſito Domino malum ſemen inter triticum & in agrum Domini ſeminauit. Illud autem illi tollere de medio, niſi cognita Domini voluntate, nolunt. Secum enim altitudinem diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei conſiderabant: & quàm incomprehenſibilia ſint iudicia eius & inueſtigabiles viæ eius, attentè meditabãtur. Ideo vt ſemper Domini voluntatem, non ſuam faciant, ipſum interrogant. Sic Ioannes & Iacobus apoſtoli humanum quid paſſi dixerunt Luc. 9. Domini iniuriam vlciſci volẽtes. Vis dicamus vt ignis deſcendat de cælo, & conſumat illos? Et conuerſus increpauit illos, dicens: Neſcitis cuius ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare. hinc ſequitur:

Et *ait, non.*] hic patrisfamilias patientiam aduertimus dum malos tollerat, & eos eradicari non vult. quaſi dicat, non volo adhuc vt colligatis & eradicetis. vnde aperte colligitur, quàm ſit Dominus miſericors, longanimis, ſuauis, & mitis. quare non ſtatim ſecundum peccata noſtra facit nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras, vt iram eius meremur & vltionem, retribuit nobis: ſed patienter propter nos expectat, quia non vult mortem peccatoris, nec vult aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam redire. hinc 2. Petr. vlt. non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant: ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.

Non vult autem eradicari malos, quia loquitur generaliter de omnibus malis: ex quorum numero plures ſuſtinentur quàm eradicantur. Tolerantur enim plurimi

auari,

auari,luxuriosi,superbi,torpore depressi,inuidi, iracundi, gulosi,vsurarij & meretrices: & verè bonus non est, quẽadmodum diuus Gregorius ait, qui malos sustinere non potest. vnde & Cyprianus collegas suos fœneratores,fraudatores, raptores pacis contemplatione pertulit, nec eorum contagione factus est talis. quapropter vitia eorum, quibuscum viuimus, nos lædere non possunt, nisi illa vel probemus, vel imitemur. Idcirco in vita tolerantur mali omnes,qui tritico sunt vtiles,& per quos boni exercentur vt inde maiorem mercedem recipiant. Præterea viuere permittuntur mali omnes, qui quamuis tritico non sint vtiles, tamen triticum nec eradicant,nec nimium perturbant. qui igitur malis nolit cohabitare, necesse est, vt ex hoc mundo abeat.Si enim Deus malos omnes statim radicitus euulsisset, quàm multi,putas, perijssent? At quoniam dissimulat peccata hominum propter pœnitẽtiam, multi, qui olim peccatores erant, ad meliorem mentem redeuntes salutem adepti sunt æternam. hinc ex telone habemus Euangelistam: ex persecutore Christianorum, apostolũ magnũ: ex famosissima peccatrice, nobilissimũ verę pœnitentiæ exemplar. Si Deus malos sufferre nõ deberet,quid de nobis fiet,qui certe boni nõ sumus? Et vt breuibus rem absoluã,sustinet Deus malos in medio tritici & bonorũ vt & exẽplo bonorũ ędificẽtur,& à malitia ad virtutes conuertantur: vel vt per eos boni exerceantur. nam omnis malus aut ideo viuit vt corrigatur, aut vt per eum bonus exerceatur. Et si diligentius textum Euangelij perspiciamus,Christus loquitur de casu quodam,in quo omnes mali sustineri debent. Rogabis, An ergo homicidæ, latrones, fures, falsæ monetæ excusores & hæretici omnes sustineri debeant? Respondeo quòd sic in eo casu,de quo Seruator in hac parabola loquitur. nam quando extirpari non possunt, sine eradicatione tritici aut periculo eradicationis eius tolerandi sunt: non quidem, quasi ipsi digni sint, qui reseruentur aut sustineantur, sed quia timetur ne eorum eradicatio bonis nocumentum inferat. vnde sequitur:

ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum.] O quanto in precio apud patremfamilias est triti-

cum. ſuſtinet enim in aruo ſuo malum ſemen, non ob aliud niſi vt triticum non eradicetur. Omnia igitur propter electos, vt ipſi ſalutem conſequantur. Tanta enim gratia & miſericordia eſt in ſanctos Dei & reſpectus in electos eius, vt hos tanquam pupillam oculi ſui cuſtodiat, & neminem eis nocere permittat: & vt etiam peſſimos quoſque ſuſtineat, ne forte aliquid eis nocumenti inferatur.

Hic igitur ratio conſtituitur, propter quam homicidæ, latrones, hæretici & peſſimi quique aliquando ſuſtineri debent. tunc enim tales non debent eradicari & occidi, quando periculum eſt, ne talium malorum eradicatio, ſit & bonorum euulſio. quod tribus modis cõtingere poteſt.

Vno modo, quando mali habent multos ſequaces; quemadmodum mali principes populi. nam principes ſequitur plerumque multitudo, qui ſi per bonos eradicarentur, etiã boni eradicabuntur inſurgentibus illis impijs principum ſequacibus, contra iuſtos. quare tolerandũ eſt malorum principum peccatum, ſi ſine occiſione multitudinis puniri nõ poſſint, ne cum vno multi cadãt. hinc dicitur Apocal. 12. a. Quod draco ſua cauda traxit ſecũ tertiam partem ſtellarum cæli. Similiter ſentiendum eſt de multitudine aliqua populi. nam parcendum eſt ſeueritati in multitudinem exercendæ; quando de illa non poteſt ſumi vindicta, ſine occiſione iuſtorum. Plerumque enim fit vt nulla ſit communitas quin bonos aliquos habeat ſibi permixtos. & prætereà ſi cõmunitas tota & omnes in ea eradicarentur; tunc & iuſti in ea, vel ad vitam æternam prædeſtinati cum malis perderentur. vnde Geneſ. 18. Abſit à te Domine vt hanc rem facias & occidas iuſtum cum impio. nihilo minus tamen, ſi tale eſſet principis peccatum, quod magis noceret multitudini aut ſpiritualiter aut temporaliter, quàm ſcandalum quod inde exoriretur, tunc ſumenda eſſet de principe vindicta.

Secundo modo, cõtingit eradicari bonos, quando mali qui eſſent eradicandi, potentes habẽt defenſores, per quos ſchiſma contingere poſſet. Ideo Dauid 2. Reg. 3. Non ſtatim deſæuit in Ioab. quia de eo debitam ſumere vltionem ſine magno ſui regni detrimento nõ potuit, eo quòd dux

eſſet ex-

eſſet exercitus & tota ei faueret militia. hanc ob cauſam nec Semei occidere auſus eſt, quamuis iam eſſet in regnū reſtitutus.

Tertio modo, mali viuere permittuntur, quando latent inter bonos, hoc eſt, quando malorum crimen non eſt ſatis notum, nec apertum. tunc enim eſt cum eis diſſimulandum. vnde admonet Hieronymus: ne vbi quid ambiguum eſt, citò proferamus ſententiam: & iterum, Monemur, inquit, ne cito amputemus fratrem errantem, quoniam fieri poteſt, vt qui hodie noxio deprauatus eſt dogmate, cras reſipiſcat. Inſuper cum talibus eſt conniuendum; quia ſi occiderentur, tunc boni qui talium ſunt malorum fautores, quia eos non malos ſed bonos exiſtimant, mirum in modum & ſcandalizarentur & ad maledicendum de Eccleſia faciles fierēt. hinc Auguſtinus ait, quod mali nonnunquam propter pacem Eccleſiæ ſunt tolerandi.

Cùm autem metus iſte non ſubeſt, id eſt, quando ita cuiuſque crimen omnibus notum eſt, & execrabile apparet, vt nullos prorſus, vel non tales, per quos poſſit ſchiſma contingere, habeat defenſores: tunc malefici viuere non ſunt permittendi: Seductores item, & pſeudoprophetæ atque hæretici morte ſunt plectendi. hinc dicit Dominus Exod. 22. Maleficos non patieris viuere: Et Dauid Pſal. 100.b. In matutino interficiebā omnes peccatores terræ. quapropter non eſt tacendum aut diſſimulandū ſi quādo hoīes aut malè viuūt aut malè docent. nam Chriſtus hac parabola nō docuit impunitatem vel malæ vitę vel malæ doctrinæ: ſed admonuit ſic puniendos eſſe malos, ne perdamus bonos. quia itaque ſæpiſſime extirpari poſſunt zizania ſine periculo tritici, imo cum maiore tritici vtilitate; idcirco non dormiat ſeueritas diſciplinæ. quare qui hæreticos, homicidas, latrones, & alios id genus malos è medio per mortem auferunt, contra mandatum Domini hic expreſſum non faciunt. nam illud eo in caſu doctiſſimi quique intelligunt, ſicut & Dominus ipſe, quo zizania ſine periculo tritici extirpari non poſſunt. hinc ſequitur:

Sinite vtraque creſcere vſque ad meßem.] nimirum ſi euelli abſque eradicatione tritici, vt prædictum eſt, non poſſint.

 quam-

quamuis autem tolerandi ſint, ne forte cum eis eradicetur ſimul & triticum : tamen non ſemper creſcent, nec permittentur creſcere, ſed duntaxat vſque ad meſſem. nō exiſtiment igitur mali doctores, vel factores, ſe ideo effugere poſſe manum Domini, quia ſubinde effugere ſolent poteſtatem hominum. hinc ſequitur:

& in tempore meſſis dicam meſſoribus.] Meſſis autem, vt dicit Dominus, conſummatio ſeculi eſt. meſſores vero angeli ſunt. hinc dicitur Pſal. 102. Benedicite Domino omnes angeli eius: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum eius. Benedicite Domino omnes virtutes eius: miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius. Imprimis autem dicit meſſoribus ſeu angelis de zizanijs.

Colligite primum zizania.] hoc eſt, ſeparate primum à tritico zizania. ſignificatur enim hic malorum à bonis ſeparatio. quamdiu autem iſtud fluit tempus, zizania cum tritico ſunt, mali cum bonis, & lilium inter ſpinas, vt habemus Cant. 2. Præterea bona & mala bonis & malis indiſcretè accidunt, quemadmodum habemus Eccle. 9. vbi & refertur hoc eſſe peſſimum inter omnia, quæ ſub ſole fiunt, quia eadem cunctis eueniunt. vnde & filiorum hominum corda implentur malitia. Verum tempore meſſis & conſummationis ſeculi cùm venerit filius hominis, ſeparabit bonos à malis, & hœdos ab agnis, idque miniſterio angelorum: & tunc bona reddentur bonis & mala malis. Verum imprimis mala reddentur malis, quorum tria hic commemorantur. Primo namque mali colliguntur, hoc eſt, à bonis ſeparantur: & in perpetuum à conſortio iuſtorum excluduntur. & hoc quoad pœnam damni: deinde alligantur, & hoc quoad pœnam ſenſus. hinc ſequitur:

& alligate ea,] Per alligationem autem perpetuitas pœnæ ſignificatur, atque irreuocatio æternæ damnationis. hinc Pſal. 149. Ad alligandos reges eorum in cōpedibus: & Matth. 23. Ligatis manibus & pedibus proijcite eum in tenebras exteriores. Sequitur:

in faſciculos] In faſciculos ligare (inquit Gregorius) eſt hos, qui æterno igni tradendi ſunt, pares paribus ſociare:

vt quos

vt quos ſimilis culpa inquinat, par etiam pœna conſtringat: & qui nequaquam diſpari iniquitate polluti ſunt, nequaquam diſpari tormento crucientur: quatenus ſimul dãnatio cõterat, quos ſimul elatio ſubleuabat: quoſq; non diſſimiliter dilatauit ambitio, nõ diſſimilis anguſtet afflictio: & par cruciet flamma ſupplicij, quos in igne luxuriæ par ſuccẽdit flãma peccati. Sicut enim in domo patris mãſiones multæ ſunt pro diuerſitate virtutis; ſic dãnatos diuerſo ſupplicio gehẽnæ ignibus ſubijcit diſparitas criminis: quæ videlicet gehenna, quamuis cunctis ſit vna, non tamen cunctos vna, eademq; qualitate ſuccendit. nã ſicut vno ſole oẽs tangimur, nec tamen ſub eo vno ordine omnes æſtuamus, quia iuxta qualitatem corporis, ſentitur etiam pondus caloris: ſic damnatis & vna eſt gehenna, quæ afficit, & tamen non vna omnes qualitate comburit. quia quod hic agit diſpar valetudo corporum, hoc illic exhibet diſpar causa meritorum. hæc Gregorius.

In vno igitur faſciculo iniuſti erũt reges, impij principes, iniqui duces, & oẽs in poteſtate cõſtituti, qui leges iuſtitiæ non cuſtodierunt, nec præcepta Dei obſeruauerunt.

In alio peruerſi paſtores & prælati, qui, quæ ſua ſunt, quæſierunt; curam autem gregis non habuerunt; ſed alijs ſcandalo & offendiculo fuerunt.

In tertio indiſciplinati, & praui religioſi, qui ſpeciem pietatis in raſo capite & religioſa veſte prætendere voluerunt, ſed per conuerſationem malam virtutem eius abnegauerunt.

In quarto mali iudices & aduocati qui munera ſuper innocentes acceperunt, qui impios pro muneribus iuſtificauerunt, & iuſtitiam à iuſto abſtulerunt. Notarij ſubdoli & Cancellarij, qui (vt opprimerent pauperes in iudicio & vim facerent cauſæ humilium) leges iniquas condiderunt, atque iniuſta & malitioſa compoſuerunt atque ſcripſerunt: & cauſas pupillorum & viduarum neglexerunt.

In quinto mali ſacerdotes. In alio mali coniugati. In alio inobedientes filij & filiæ. In alio ſuperbæ & fictę virgines. In alio facinoſorę viduæ. In alio ſceleſti ſerui & famulæ. In alio infideles & pagani. Et, vt paucis omnia cõprehendam, vbi hæretici hæreticis, infideles infidelibus, luxurioſi

luxurioſi luxurioſis, auari auaris, ſuperbi ſuperbis, pigri pigris, inuidi inuidis, iracundi iracundis, guloſi guloſis iuſta Dei vindicta copulabuntur, & mutuo ſe prement, atque in vnum conſtricti iacebunt, ſicut halcca in vaſe vno compreſſa tenentur. & tunc quantum quiſque ſe glorificauit in culpa & in delitijs fuit, tantum ei datur ibi tormentum, & luctus tantus. quo autem plures ſunt faſciculi, eo amplius cruciantur damnati. Sicut enim ardor ignis augetur ex lignorum multiplici & innumera appoſitione: ſic cruciatus damnatorum intēditur ex damnatorum multitudine. quia ſicut ſe habet gaudium ad bonos; ſic ſe habet pœna & miſeria ad damnatos. ſed omnis creatura erit beatis materia gaudij: ergo omnis creatura erit damnatis materia pœnæ & afflictionis: nec ſolum tormenti & ſupplicij materia, ſed cauſa aliquo modo effectiua. Cui concordat illud Sapien. 5. Pugnabit orbis terrarum contra inſenſatos. nemo ergo arbitretur quod ideo minus ardeant damnati, quia multi ſunt qui damnantur, & in ignem illum gehennæ proijciuntur. Sequitur:

ad comburendum.] hic ecce tertia ponitur pœna, qua affliguntur damnati. Comburuntur enim, hoc eſt, ſimul vruntur, igni inextinguibili. vnde Luc. 16. dicit diues ille epulo: quia crucior in hac flamma. Sequitur iam præmium electorum.

Triticum autem congregate in horreum meum.] hic habemus electorum præmium, idque quoad tria, videlicet puritatem, vnitatem & tranquillitatem. Puritas autem electorum nobis ſignificatur per triticum, quod plane & à zizanijs & à paleis eſt purgatum. nam electi Dei inſtar tritici per conſcientiæ puritatem ſunt interius candidi: & per patientiam exterius rubei: graues in moribus, vtiles in ſermonibus. mali vero non purgantur, ſed cum ſuis inquinamentis in infernum detruduntur.

Deinde inter electos eſt vnitas: eaque nobis inſinuatur quando dicitur, congregate. hinc Pſal. 49. Congregate illi ſanctos eius, qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia. vnde & Matth. 24. Vbicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Inter malos autem ſemper diſcordia regnat.

Rurſus

Rurſus in verbo, congregate, communis iuſtorum ſocietas ſignificatur, ex qua iuſtorum gloria & lætitia augetur. nam ſicut malorum pœna & damnatio ex multitudine damnatorum augmentatur: ſic electorum gloria & accidentalis beatitudo ex copia beatorum multiplicatur. Denique electi habent tranquillitatem, quæ nobis quando dicitur, in horreum meum, ſignificatur. nam ſicut horreum fit ad conſeruationem meſſis: ita quoque patria illa, cæleſtis Ieruſalem, ad conſeruationem ſanctorum. hinc Pſalmiſta, non accedet ad te malum & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. quoniam angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. Non exiſtiment igitur pij ſe minus placere Deo, quod in hoc mundo tantam ſuſtinere coguntur ab impijs iniuriam: non enim ita ſtatutum eſt à Deo, vt hic exiſtentes ſinguli accipiant dignam pro factis ſuis mercedem. nam hoc duntaxat futurum eſt tempore meſſis.

FINIS.

EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS PLANTINVS ANTVERPIAE, ANNO M. D. LXV. NONIS IVNII.

ENARRATIONIS EVANGELII DOMIN. SEXTÆ, POST FESTVM EPIPHANIÆ DOMINI,

CAPVT PRIMVM.

Euangelium Matth. 11.d. & Luc. 10.d.

IN ILLO *tempore, reſpondens Ieſus,*] Rogabis cui reſponderit? Dico quod reſpondet tacitę obiectioni. Poſſet enim dicere aliquis: Iſti non credunt quibus prædicaſti: alij autem crediidiſſent, ſi prædicatũ illis fuiſſet. quare ergo non eſt illis prædicatũ vt crederent, & illos non elegiſti ad fidem vt ſalui fierent? Reſpondet, & ſua reſponſione arguit quoſdam, qui cauſas electionis inquirentes demerſi ſunt in profundum. ex quorum numero extitit Origines, qui dicebat quod electio eſſet ex meritis. Verum hoc hic reprobat Dñs, oſtendens non meritis humanis ſed diuinæ voluntati hoc attribuendũ eſſe, dum dicit: Ita pater quoniam ſic fuit placitũ ante te. Sequitur.

dixit, Confiteor tibi pater domine cæli & terræ.] Triplicem autem eſt reperire in ſcripturis ſacris confeſſionem. Peccatorum vnam, de qua S. Iacobus quinto ſuo cap. Confitemini (inquit) alterutrum peccata veſtra. & Pſal. 31. Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meã Domino & tu remiſiſti impietatem peccati mei. De qua etiam Ioſue locutus eſt ad Achan filium Charmi: Ioſue 7. dicens: Fili mi da gloriam dño Deo Iſrael, & cõfitere atq; indica mihi quid feceris, ne abſcondas. Secunda eſt credendorum. Sic accipitur, cùm Matth. 10. dicitur: Si quis me cõfeſſus fuerit coram hominibus: confitebor & ego eum coram patre meo. de qua etiam Paulus ſcribit ad Rom. 10. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. hæc neceſſaria erat tempore perſecutionis in ipſis adhuc eccleſiæ primordijs, vbi quam plurimi ſuppliciorum metu Chriſtum ore negabant, corde autem confitebantur,

bantur, existimantes hoc sibi licere. Verum error iste Helchesatarum tempore Fabiani papæ & martyris Romę cõdemnatus est. nam Christum confiteri non solum corde, verumetiam ore necessarium est ad salutẽ. Tertia est laudis & gratiarum actionis: cuius meminit Psalmista Psal. 105. dicens: Cõfitemini Dño quoniam bonus & Eccl. 51. Confitebor tibi domine rex. Et Esai. cap. suo 25. dicens: Domine Deus meus es tu & exaltabo te & confitebor nomini tuo, quoniã fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, Amen. Et hæc sane confessio laus est, & gratiarum actio, qua quis agnoscit eum, à quo beneficium accepit: & illum propter hoc, quod ei contulit bonum, laudat, eique gratias agit. Prima igitur confessio est actus pœnitentiæ: Secunda, fidei: Tertia verò, latriæ. & de hac postrema hic fit mentio. quamobrem quum dicit Christus, Confiteor tibi pater, vult dicere: Laudo te pàter, & benedico tibi, gratulor tuæ voluntati & tuæ bonitati, atque ad tuam gloriam fateor, & omnibus manifesto tuam sapientiam, atque adeo quidquid boni est tuæ: asscribo prouidentiæ. Vel confiteor tibi, hoc est, iuxta Hebræi sermonis proprietatem, gratias ago tibi.

Quapropter oportet nos illorum vitare consortia qui Deo gratias agere nolunt, quique vt hoc faciant templũ adire recusant, dicẽtes: Quidnam est quod agam in templo? quasi verò tempus esse possit, quo nihil in templo agere queas. O vocem impiam & Christiano homine indignam! Si Christus filius Dei & Deus existens agat patri naturali gratias, quanto magis nos filij adoptiui patri supernaturali gratias agere debemus, eumque quãtum possumus laudare. Vis itaq; scire ô homo piger & diabolice quid in templo agere debeas, audi loquentem & dicẽtem Dauidẽ. Laudans inuocabo Dominũ & ab inimicis meis saluus ero. quamuis enim omnia nobis iam ex animi sen tentia succedant: tamen Deo supplicare debemus vt ventura auertat mala: & ne nos sinat à sua (quemadmodum Saul regem) excidere gratia. En tibi quid in templo agere debeas. Ecce & hic ipsum tibi Christum, qui nec pecca uit vnquam, nec dolus inuentus est in ore ipsius: & tamen laudat & glorificat Deũ patrem, eique gratias agit. quod

si ille

si ille fecit, an nos idem facere recusabimus? Verum iã sequentia videamus. dicit itaq; Christus, Cõfiteor tibi scilicet à quo cuncta bona procedunt. Aperis enim manum tuam & imples omne animal benedictione. nec solũ potestatem habes dandi omnibus affluenter, verum etiã omnibus abundanter das & non improperas. Sequitur:

Psal. 144.

Iacob. 1.

Pater] videlicet per æternã generationẽ. Certe tu pater es, ex quo omnis paternitas in cęlo & in terra nominatur.

Domine] nimirum per creationem, conseruationem, & gubernationem.

cœli & terræ] hoc est, cælestium atque terrestrium; inuisibilium visibiliumq;. Per cælum enim & terram omnes in vniuersum intelligere debes creaturas & cælestes & terrestres. quare ipsius est pro nutu suo omnia & in cælo & terra facere & decernere. Audite hoc omnes, quotquot fidem profitemini catholicã, & discite quoniã Deus vos creauit, Christus sanguine suo redemit, & spiritussanctus super vos in baptismo & alijs sacramẽtis effusus est. Et dum creditis omnia vos recepisse à Deo bona, tãdemque vitam & felicitatem recepturos æternã, meritã Deo immortali gratiã iustis honoribus & memori mente persoluite, eique ex animo gratias agite. sicut fideliter monuit Paulus prioris ad Thess. 5. dicens: Sẽper gaudete, sine intermissione orate, in omnib⁹ gratias agite: hęc est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis. Sequitur:

quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus.] Rogabis an ideo gauisus sit Christus & gratias egerit Deo patri, quia hæc sapientes ignorauerunt? Respondeo quod lętatus est Christus nõ de hominum excæcatione & infidelitate, sed de occulta Dei iustitia, quam superbi ignorauerunt, & humiles cognouerũt: vel iuxta Chrysostomi sententiam exultatio Christi referenda est ad reuelationem, non autem absconsionem. Respondeo igitur Christũ nihil minus quàm perditione illorũ gauisum esse. Sed quia paruuli illuminati perceperũt, lætatus est. Sicut enim benignus pater videns filios suos bene dirigi & instrui gaudet: sic & Christus quod discipuli eius illuminati sunt, & tantis bonis facti digni, exultat. quasi enim amator hominum gaudij reputabat materiam, de qua gratias agit,

errantium conuersionem. Paruulis igitur hæc mysteria esse reuelata dignum est lætitia: à sapientibus aũt & prudentibus esse occultata, lachrymis dignum est, non lætitia. quod apertissime ostendit Christus ciuitatem lugens & dicens: O si cognouisses & tu. nihilo minus hæc est via salutis optima, vt qui respuunt, quæ dicuntur & nolunt suscipere, nullo modo cogantur.

Sed rogabis, quare pro hac reuelatione gratias egerit patri, cùm tamen ipse quoque hæc omnia operatus sit filius? Ad hoc respõdet Chrysostomus, quod sicut pro nobis secundum humanam naturam Deũ orat ardenti charitate: ita quoque gratias agit Deo patri ex maxima nostri dilectione. Sequitur:

abscondisti.] miraberis fortassis quo modo Deus occultauit illa sapientibus, cùm tamen Psalmista dicat, in oẽm terram exijsse sonum eorum. Deinde si Deus illa occultauit sapientibus, ergo apparet quod ipsi in excusationẽ arripere licitè possunt suam ignorantiam. Respondendum est Deum per se illis euangeliũ non cęlasse, verum eos sibimetipsis abscondisse, dum illud aperte sibi prædicatum recipere noluerunt. quia sibi sapientiores videbantur, q̃ vt euangelio auscultarent. quomodo & sol radios suos per occlusum cubiculũ alicui non trãsmittit, eo quod fenestras ipso nõ aperit, vnde radij ad ipsum penetrare possent. Sic etiam Deus lumen eis non abscondit, nisi inquãtum ipsi intromittere noluerũt. Rationem reddit Paulus ad Rom. 10. cùm ait: Ignorantes iustitiam Dei & suã quęrentes statuere, iustitiæ Dei nõ sunt subiecti. Si igitur euã gelio humiliter auscultare voluissent, etiam illud cognouissent, iuxta illud Eccl. 6. d. Si inclinaueris autem tuam, nimirum humiliter obediendo, excipies doctrinam.

Sunt tamen etiam nunc multi Theologi in scripturis doctissimi, qui Christi doctrinam, fideiq; mysteria valde subtiliter intelligunt, legunt, & exponunt: de quibus dicitur quod notũ est Dei, manifestũ est illis: & nihilominus sunt superbi & in oculis suis magni: quomodo ergo à sapientibus & prudẽtibus, hoc est, superbia ista sunt abscõdita? Respondeo duplicem esse notitiam siue scientiã, nimirum informem & formatam. notitia informis vocatur

& est

& est nuda notitia, charitati & vitæ laudabili non vnita, quæ caret interno veritatis sapore, nec hominis mentem afficit, nec eam ad Deum pertrahit. Talis autē diuinorum & humanorum notitia in peruersis & malis hominibus esse potest. De quibus dicitur ad Rom. 1. c. Quòd cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt. Alia autem est notitia quæ vocatur formata, quæ bona vita & charitate est ornata, quæ malis inesse non potest. hinc sapien. 1: In maleuolam animā non introibit sapiētia. quapropter quantum ad hanc veritatis notitiam, abscondita sunt hæc à sapientibus & prudentibus secundum sensum carnis, non autem à sapientibus & prudētibus secundum spiritum cordis. Sequitur:

hæc] videlicet, noui testamenti & legis euangelicæ sacramenta, fideique nostræ mysteria & arcana. Sequitur:

à sapientibus & prudentibus.] scilicet stultitiæ præsumptione, non prudentiæ causis, vel à sapientibus & pruden tibus secundum sensum carnis, non secundum spiritum cordis: vel à sapientibus & prudentibus, id est, à superbis & alta de se sentiētibus. quorum certè alia scriptura meminit dicens: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Resistit namque superbis, ne æterna bona intelligant, sed paruulis gratiam dat, vt eadem bona æterna, ipso reuelante cognoscant.

1. Pet. 5.

Hic ergo sapientes non eos accipies, qui vere & cum laude atque ex gratia diuina sapientes existunt, sed illos, qui cum nō sint sapientes, nec prudentes, sibi tamen tales videntur, de quibus loquitur propheta Esaias cap. 5. suæ prophetiæ dicens: Væ qui sapientes estis in oculis vestris & coram vobismetipsis prudentes. Tales enim corā oculis Dei verè sunt stulti: quum Salomon dicat Prouerb. 26. Vidisti hominem sapientem sibi videri. magis illo spem stultus habebit. Et apostolus ad Rom. 1. Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.

Verum huiusmodi homines non solum sibi videntur sapientes, verum etiam sapiētes ab alijs dici & haberi volunt. Et ob id semper in ore habent magnorū authorū nomina, videlicet Ciceronis, Demosthenis, Thucydidis & vsque crepāt Pythagoram, Platonem, Aristotelem, Auer-

roem, ad quorum opiniones, velut oracula, obstupescit mundus: vt illorum se nomine doctos, & prudentes exhibeant, & mũdo sapere videãtur. quia igitur tenebræ sunt & nihilominus se lumen putant, ideo illuminari nõ possunt, nec sapiunt nisi vana & stulta. Tales fuerunt olim scribæ & pharisæi qui apud semetipsos sibi sapiẽtes videbantur & tales ab alijs haberi volebãt. nõ hoc dico quasi hodie tales reperiri nõ possint, cùm plurimi adhuc iã sint, proh dolor, longe scribis & pharisæis deteriores: qui sibi non solum prudentes videntur, verum etiã adeo se sapere sibi persuadent, vt nihil hactenus obseruatum obseruare velint: sed omnia pro sua volũtate effingere noua studeãt. Imprimis fidem ab omnibus hactenus in pretio habitam reijciunt, & nouam introducere nituntur; nouas ceremonias in Missa sibi cõminiscuntur: imo Missam nouam & noua sacramenta, ecclesiamq; nouam sibi excogitãt: denique Deum confingunt sibi nouum. Is autẽ diabolus est quem loco Dei colunt. Insuper tantũ abest, vt alicui obedire velint, vt etiam omnibus se præferant, adeo sibi sapientes videntur. Apud hos enim nihil valent Pontifices, Imperatores, nec Concilia hactenus habita & à doctissimis viris totius orbis celebrata.

Rogabis quam ob causam huius mundi aliquot sapiẽtes ad hanc insipientiam & stultitiam peruenerint? Respondet apostolus Paulus ad Rom. 1. c. dicens: Quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis: & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.

Nobis aũt iterũ atque iterũ per gratiã Dei cauendũ est ne ad hanc stultitiã deueniamus, quod fiet si superbiã vitemus. Dominus enim nõ damnat ingenij acumen & solertiam: sed animi tumorem & superbiam. quamobrem inter sapientes vt quisque est humillimus, ita quoque est doctissimus & talis habetur apud Deum. vnde venerabilis Beda clauem scientiæ vocat humilitatem.

Hic igitur docemur flatum superbiæ omnino fugere & simplicitatem amplecti, ne & à nobis huiusmodi mysteria abscondantur. quod Paulus pluribus verbis docet

prioris ad Corinth.3.d. dicens: Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat vt ſit ſapiens. Sapientia enim huius mundi, ſtultitia eſt apud Deum: ſcriptum eſt enim, Comprehendam ſapientes in aſtutia eorum. Et iterum: Dominus nouit cogitationes ſapientum, quoniã vanæ ſunt. Simus itaque humiles & humilitate ſimplices. nam Prouerb.11.a. dicit Sapiens: Vbi fuerit ſuperbia, ibi erit & contumelia: vbi autem eſt humilitas, ibi & ſapientia. Sapientia enim eſt non eloquia Dei ſcire, ſed ſecundũ eloquia Dei viuere. ꝗ non niſi faciũt humiles. Sequitur:

Et reuelaſti ea paruulis.] hoc eſt, ſtultis iuxta mundi æſtimationem. Eſt enim apud græcos νηπίοις, quæ vox quando ad animum refertur, ſtultum vel parum eruditum ac vſum rerum callẽtem ſignificat. quando verò ad ætatem, infantem quaſi qui adhuc fari nequeat. Verũ hic ad animum refertur, & ſignificat non re vera ſtultos & imprudentes, ſed ſolum ſtultos & imprudentes iuxta mũdi æſtimationem. vnde paruuli hic nominantur, qui viles & abiecti ſunt in hoc mundo & idiotæ. quare loquitur de illis, qui re vera ſunt paruuli, non tamen de omnibus illis, ſed de paruulis qui ſunt bonæ voluntatis, & humilitate præditi, & vt paucis dicam, de paruulis malitia, nõ ſenſu. hinc Pſalmiſta Pſal.118. Declaratio ſermonum tuorum illuminat & intellectum dat paruulis.

Auguſt. in quæſtion vet. ac noui teſtament. quæſt.100.

Quamobrem non literatis huius ſeculi, vt inquit Auguſtinus, regnum cælorum promiſit Deus: ſed fidelibus. neque ſcrutatoribus ſyderum æternitatem pollicetur; ſed recte agẽtibus: nõ dialecticis qui fraude & minutis quibuſdam ratiunculis verum excudere nituntur, gloriam dat; ſed bonæ voluntatis hominibus qui accurati magis vita ſunt, quàm ſermone. iſtos enim reprobat Deus, qui oratione clari ſermonis magis vti volunt, q̃ bonis actibꝰ. Ideoque piſcatores elegit Dñs noſter apoſtolos, homines ſimplices & ſine literis: qui ſine aliqua verſutia fidem ſeruando & bene viuendo, Dei in ſe oſtenderent veritatem. vnde & Apoſtolus Paulus prioris ad Corinth.2. dicit: Et ego veniens ad vos fratres, nõ veni in ſublimitate ſermonis aut ſapiẽtiæ. Et prioris ad Corinth.4. Quia, inquit, nõ in ſermone eſt regnũ Dei, ſed in virtute: atq; hæc idcirco

prę̨missa sunt fratres charissimi, vt cōsuleretur simplicioribus, ne fortè indignos se putarent gratia Dei, quia minime sunt literis forēsibus eruditi, cùm magis ad laudem proficiat simplicitas eorum. quoniam quod prudentes mundi non vident superbia literarum, hoc reddunt non verbis sed consilio paruuli. Sciunt enim in bonis operibus requiescere Deū & fidem quærere, nō cultū sermonū. Legunt enim Esaię 46. In quo requiescam nisi in humili & mansueto & tremente verba Dei? hęc beatus Augustinus.

Dicit itaque Seruator, reuelasti ea paruulis, quasi dicat: Tu idiotas fecisti oībus mundi philosophis sapientiores: Rudes inquā gnaros: imbecilles validos: debilibus & infirmis virtutē dedisti, nō modo cōtra tyrānos & reges; verum etiā contra ipsum inferorū regē diabolū: atque vtrinque tuam gloriā mirifice declarasti. nā videmus è tertio cælo mysteria allata, tāta & talia: qualia & quāta ne apostoli quidē didicissent in paradiso: atq; ita exaltasti humiles. Videmus item ꝙ principē huius mūdi, imbecilles expugnant hoīes. In euangelica enim historia vides apostolos Alexandro magno, Baccho, Hercule, Achille, & oībus hoc genus bellatoribus potētiores: vsq; adeo vt nemo nō videat tuum esse & exaltare humiles & elatos de sedibus deturbare. Et ob id benè Apostolus in epistola ad Corinthios dicit. Deum patrē viles & abiectos & humiles huius mundi homines semper elegisse; illustres quoscunque & superbos contēpsisse. instrumētum vtrunque huiusmodi exemplis est plenum. Vides enim Abrahā, Isaac, Iacob, Ioseph, Dauid, & omnes electos minimos & humiles fuisse.

1. Cor. 1.

Rogabis an ergo Deus contēnat huius seculi doctos & eruditos, & syderū scrutatores atque dialecticos? Dico ꝙ sic, si modo adeo propter suas sciētias superbiāt, vt præ superbia cordis sui recte viuere & bona operari contēnant. Tales enim despicit Deus: atque illud est ꝙ asserere vult beatus August. Verum si propter huiusmodi suas sciētias superbia nō efferantur, sed bene viuere, non aūt huiusmodi suas scientias ostētare studeāt; tales Deus nō repudiat, sed sua mysteria eis reuelat. quamobrem Christus nō loquitur solū de illis, qui re vera in hoc mundo sunt paruuli: sed etiam de illis, qui in hoc mūdo sunt magni, modò sibi par-

ſibi paruuli videantur. hoc eſt, de magnis qui ſunt humiles: & qui nihil de ſe prçſumentes diuinæ ſe voluntati inclinant. hic enim prudens Deo eſt & ſalutis ſuæ memor, qui ſcientiæ ſuç anteponit legem Dei, quam vtique videt non verborum ſtrepitu ſed rerum virtutibus fulciri.

Reuelaſti itaque ea paruulis, hoc eſt, humilibus ſiue indocti ſint & idiotç; ſiue eruditi & docti in ſeculo hoc viri, qui humiles ſunt, nõ ſuperbi, qui ſe tenebras exiſtimãt, non lucem. Recte ergo dicunt illud Pſal. 17. c. Quoniã tu populum humilem ſaluum facies, & oculos ſuperborum humiliabis. quoniam tu illuminas lucernam meam domine: Deus meus illumina tenebras meas.

Re vera chariſſimi ita ſe res habet. Hieronymus aliquis, Bernardus aliquis, Dominicus aliquis, aliquis Franciſcus, & Antonius, hoc eſt, humilis corde, qualem lectorem requirunt euangelia, mente percipit diuinæ ſcripturæ myſteria, flumina eiuſdem aperiuntur ei: haurit aquas in gaudio de fontibus ſaluatoris, irrigatur ſpiritus eius, totus perfunditur torrente voluptatis.

Verum hi quamuis ſint doctiſſimi, tamen paruuli videntur ſapientibus mundi, propterea quòd mundanã ſapientiam inflatis buccis oſtentare negligunt. Verum quãuis paruuli habeantur, tamen hoc nõ ægrè ferũt: imo tales haberi ab alijs percupiunt & gaudent. nam etiãſi diſpliceant mundo, non curant, modò placeant Deo.

Hi ſunt igitur, quibus Deus ſua myſteria reuelauit. nã ſuam natiuitatẽ primo annũciauit paſtoribus, nõ Herodi, nec eius principibus: quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Simus ergo & nos humiles & par uuli, non autem inflati & tumidi: quo aptiores ſimus ad percipienda Dei myſteria. Sequitur:

Ita pater, quoniam ſic fuit placitum ante te.] pro quo græcè eſt εὐδοκία, quæ vox ſignificat, quoties aliquid nõ ſolum placet, ſed & bene placet. multa plerunque placent, quæ tamen non bene placent. Dicit ergo, etiam pater, quia ſic fuit beneplacitum, ſic fuit bona voluntas in oculis tuis.

Magnũ hoc & forte verbũ eſt, ꝙ quibuſdam myſteria aduentus ſui reuelauit, alijs cælauit. Cuius Chriſtus non aliam cauſam refert, quàm quod ſic viſum fuit Deo patri.

quasi diceret: Iniustum esse non potest, quod iustissimo placuit Deo. vnde discimus vt secreta Dei iudicia discutere non præsumamus, sed ipsam Dei naturam ad testimonium nobis sufficere intelligamus, quia Deus sine iusta ratione nihil facit. non enim ad discussionē suam sed ad honorē suum creauit te, nec iudicem te esse voluit actuum suorum, sed seruū præceptorū suorum. Boni enim domini est omnia prouidere, quę ad vtilitatem pertinent serui. Boni autem serui est fideliter operari & domini sui actus nō discutere. qui enim perscrutator est maiestatis, opprimetur à gloria. nam incomprehensibilia sunt iudicia eius & inuestigabiles viæ eius, ad Rom. 11.

Licebit tamen nobis hinc inde rationes colligere, ob quas quibusdam mysteria aduētus sui reuelauit, alijs aūt cælauit. vt cùm Dauid dicit Psal. 118. Intellectū dat paruulis. Et Paul⁹ prioris ad Corinth. 1. d. Videte enim vocationem vestrā fratres, quia nō multi sapiētes secundū carnem, nō multi potētes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt cōfundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt cōfundat fortia. & ignobilia mūdi & cōtemptibilia elegit Deus, & ea quæ nō sunt, vt ea quę sunt destrueret, vt nō glorietur oīs caro in cōspectu eius.

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICAE SEXTAE POST FESTVM EPIPHANIAE DOMINI CAP. II.

OMNIA *mihi tradita sunt à patre meo.*] hoc est, omnes electi & prædestinati specialiter mihi sunt dati. hinc Ioan. 17. Tui erant & mihi eos dedisti & sermonem meum seruauerunt. Et qui sic interpretantur volunt, vt intelligatur distributio secundum materiam subiectam, cōprehendere solum fideles, de quibus Christus hic loquitur. hinc & Augustinus, Tradita, inquit, dicit sibi omnia, non cælum & terram, vel cetera quæ ipse condidit ac fecit elementa: sed hos qui per filiū accessum habent ad patrem, & ante rebelles, Deum postea per fidem sentire cœperunt. vnde & in alio loco dicit: Omne quod dat mihi pater, ad me veniet.

Augustinus.

Ioan. 6.

Verum

Verum longe melius dicitur quod Christus hoc dixit, ne quid in illo minus, q̃ quod est in Deo patre, esse putaretur. Dixerat enim, Confiteor tibi pater domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & reuelasti ea paruulis. Vt igitur non æstimes quoniã ita gratias agit patri sicut si esset hac virtute priuatus, quasi non possit & ipse reuelare ea paruulis, consequenter adiungit: Omnia mihi tradita sunt à patre meo. quare per omnia intelliguntur ea quę sunt sibi intrinseca, nimirum omnis perfectio diuinitatis. hinc Ioan. 5. dicit Christus: Sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso. Christus enim hic vult docere quod secundum naturã diuinam sit idem cum patre, & æqualis patri: vt apertissime colligitur ex eo quod immediate sequitur. Et nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quis nouit nisi filius & cui &c. Cùm ergo legis omnia, omnipotentem agnoscis, non discolorem, non degenerem patri. Ex magnitudine enim eius, quod ei à patre datur, patri se confitetur esse æqualem: vt Arrius confundatur. non enim essent illi data omnia, nisi omnis plenitudo diuinitatis, quæ est in patre, esset & in filio. quáobrem per illam generationem æternam pater ei & substantiam suam & essentialem cõmunicauit perfectionem. & ideo dicit ad patrem Ioan. 16. Mea omnia tua sunt, & tua mea sunt & clarificatus sum in eis. Et iterũ Ioan. 17. Omnia quæ habet pater, mea sunt. Et tamen hoc non adeo crasse & rudi, quod aiunt, Minerua intelliges, patrem sic omnia dedisse filio vt ipse iam nihil habeat. Verè enim & essentialiter potestatem, quam ipse habet & filio dedit, & ipse sibi reseruauit.

Præterea ex eo, quod pater filio dare dicitur (ex quo sequitur ipsum recipere) non potest ostendi aliqua indigentia in filio: sed ad hoc requiritur vt filius sit. nõ enim filius dici posset nisi à patre genitus esset. Omne autẽ genitum à generante naturam generantis recipit. vnde per hoc quod pater filio dare dicitur, nihil aliud intelligitur, q̃ filij generatio, secundũ quam pater suam naturam dedit filio. Et hoc ipsum ex eo quod datur intelligi potest: dicit enim Christus Ioã. 10. Pater quod dedit mihi, maius

omnibus

omnibus est. Id autem quod maius omnibus est, diuina natura est, in qua filius est patri æqualis. vnde ad hoc clarius explicandum subdit. Ego & pater vnum sumus. Manifestum est igitur quod talis donatio indigentiam in filio non designat. non enim ante fuit filius quàm sibi daretur, cùm generatio eius sit ipsa donatio: neque plenitudo dati hoc patitur, vt indigere possit ille, cui constat omnia esse donata. nec prædictis contrarium est, quod pater in scripturis legitur dedisse filio ex tempore. sicut dominus post resurrectionem dicit discipulis, data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. & Apostolus ad Philipp. 2. Propter hoc Deus exaltauit ipsum & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, quasi hoc nomen diuinitatis non habuerit ab æterno. Est enim in scripturis consuetus loquendi modus, vt aliqua dicátur esse vel fieri, quando hominibus innotescūt. hoc autem quod filius ab æterno vniuersalem potestatem & nomē diuinum accepit, post resurrectionē prędicantibus discipulis est manifestatum mundo. & hoc etiā verba Christi aperte ostendunt. dicit enim Ioan. 17. Clarifica me tu pater apud temetipsum claritate, quam habui, priusquā mundus fieret. vbi petit vt sua gloria, quam ab æterno à patre recepit, vt Deus, in eo iam homine facto, esse declararetur.

Ex eo igitur quod sibi patrē omnia dedisse asserit, verum se filium contra Sabellium confitetur. similiter cùm omnia legis tradita; filium confiteris, cui per naturā omnia vnius substantiæ iure sunt propria, non dono per gratiam collata.

Ne igitur putares Christum hac reuelādi potestate esse priuatum & solum patrem eam habere, ac ideo Christum patri gratias agere: ob id iam innuit hanc quoque potestatē sibi esse traditam: quippe cùm omnia sibi à patre sint tradita. Cùm autem filio tradita sint omnia, & ipsa vtique reuelatio illi tradita erit. vnde & postea statim addit; Et cui voluerit filius reuelare. hinc certum est quòd quemadmodum pater reuelat filium & filij mysteria: ita quoque filius reuelat patrem, adeo vt fideles reuelationē hanc patris habeant per filium, cùm filius medium inter personas diuinas locum obtineat & secundum humanitatem

tatem Dei & hominum mediator ſit. quod & Paulus teſtatur prioris ad Timoth. 2.b. dicens: Vnus Dei, vnus & mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus. Et ideo Ecclesia omnes ſuas collectas concludit hoc modo; Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, &c.

Et nemo nouit filium niſi pater, neque patrem quis nouit, niſi filius.] quod idem ſignificat ac ſi diceretur: ſolus pater nouit filiũ & ſolus filius nouit patrem. quaſi dicat, nulli ſit mirũ me omniũ eſſe dominũ. nam tam magnus ſum, vt nullus me noſcat niſi pater:& tam potens ſum, vt valeam comprehendere patrem. hoc eſt, perfecte & totaliter ſcire patrem, & eundem quoque alijs reuelare. non eſt parui momenti ſic ſcire, & noſſe patrem. Tanti res eſt, vt nulli alij vnquam contigerit, nec vnquam contingat.

Vbi primum ſtatim obſerua non excludi hic Spiritum ſanctum, quoniam hic quoque & patrem cognoſcit & filium. ſiquidem vna eſt trium perſonarũ eſſentia, vna poteſtas, intellectus vnus, & vna ſcientia. vnde & Spiritusſanctus peculiariter appellatur ſpiritus veritatis.

Præterea nec filius excluditur à ſui ipſius cognitione: nec etiam pater. nam dictio illa excluſiua (ſolus) excludit duntaxat ea, quæ ſunt diuerſę naturæ. fit enim duntaxat exceptio eſſentialis, non autem perſonalis.

Verum rogabis fortaſſis, An ne angeli & ſancti noſcãt patrem & filium & etiam ſpiritum ſanctum? Dico quod non, loquendo de notitia, cuius hic ſit mentio. hîc enim ſit mentio de notitia comprehenſionis, propriè comprehenſionem accipiẽdo. quando autem comprehenſio proprie accipitur, Deus verus non comprehenditur, niſi à ſe Deo vero. nam omnis intellectus creatus à Dei comprehenſione deficit in infinitum. Deum enim cõprehendere dicitur, qui eum cognoſcit tam perfecte, ſicuti ex ſua natura cognoſcibilis eſt. Deus autem eſt infinitæ cognoſcibilitatis, ſicut & infinitæ actualitatis & perfectionis. quapropter comprehendendi non valet niſi ab intellectu immenſæ capacitatis. Exempli cauſa ſi linea aliqua eſſet in infinitum longa, nos etiam oculis noſtris non poſſemus penitus, totamque videre: quia oculus

noster finitus est. Eodem modo etiam nemo totaliter & perfectè diuinam cognoscere nisi solus Deus essentiá potest. quia ab intellectu creato incomprehensibilis est & omnem sensum superat & excellit, cogitationes quoque & intellectum hominis subterfugit. vnde Esaias cap. suo 45.c. recte clamat dicens: Verè tu es Deus abscōditus. Ea propter & Dionysius ille de mystica theologia deum nec dici nec intelligi asserit. quare prudenter hic Hieronymus hæreticum reijcit Eunomium qui tantæ erat temeritatis vt auderet dicere se & Deum patrem & Deum filiú sic cognoscere, sicut illi mutuo se inuicem noscunt.

Verum quamuis Deus non possit perfecte cognosci ab homine: tamen noli desperare, sed veni ad filium & audi quod sequitur:

Et cui voluerit filius reuelare,] vnde pater quamuis nō cognoscatur ab alio ea cognitione qua ipse Christus patrē cognoscit: tamen non ab omnibus ignoratur. nam cui filius reuelat patrem, is cognoscit patrem. Reuelat autem non quantum cognoscit, sed quantum alius recipere potest. hinc Paulus prioris ad Corinth. 3. a. Ego fratres non potui vobis loqui, quasi spiritualib⁹ sed quasi carnalibus, tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. nondum enim poteratis. Si autem tantum philosophiæ cælestis percipere non potuerint Corinthij quantum Paulus capiebat: ergo multo minus nos tantum apprehendere possumus quantum Christus capit. quamuis igitur patrem reuelet filius aut filium pater: tamen reuelat non quantum sunt, sed quantum ille, cui reuelatur, capere potest. Filius enim non tantum pro se à patre hæc omnia recepit, sed in omniū, quantum fragilitas humana capere potest, vtilitatem, qui sese in societatem eius per fidem & sacramēta dedunt. heredes enim sumus Dei, coheredes autem Christi. nam Deus pater omnia nobis cú filio suo donauit. Vt ergo posthac semper filium adeamus, quo hanc cognitionem assequi valeamus: ideo Christus iam hic fieri non posse probat, vt quis cognoscat patrem, nec etiam filium, nisi per ipsum filium. quapropter hoc non ita intelligendum est, quasi filius à nullo possit cognosci nisi à solo patre. Pater autem non solum à filio

ſed etiam ab eis, quibus reuelauerit filius. Verum ſic potius dictum eſt, vt intelligamus & patrem & ipſum filium per filium reuelari: vt quod poſtea intulit, & cui voluerit filius reuelare, non tantum patrem, ſed etiam filium accipias. Ad totum enim quod dixit illatum eſt. Si enim filius ſeipſum nobis non reuelaret, quis igitur nobis eum reuelaret? Si dixeris quod pater nobis eum reuelaret: Reſpondeo quod pater non reuelat nobis filium, niſi per ipſum filium, hoc eſt, per verbũ ſuum. Verum quidem eſt quod ſupra dixit patrem myſteria noſtræ fidei reuelaſſe paruulis. verum etiam eſt quod Chriſtus dixit ad Petrũ Matth. 16. Beatus es Simon bar Iona quia caro & ſanguis nõ reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cælis eſt. vnde certiſſimum eſt patrem reuelare filium. Veruntamen non niſi per filium reuelat. quare fieri non poteſt, vt quis cognoſcat patrem vel filiũ, niſi per filium. Et ob id euangeliſta non dicit, & cui voluerit pater reuelare: ſed cui voluerit filius reuelare. nam pater non reuelat niſi per filium.

Rogabis quo modo fieri poſſit vt filius non ſolum patrem, verum etiam ſeipſum declaret? quia filius eſt æternum patris verbum. Verbum autem non ſolum eſt declaratiuum eius, à quo promanat, ſed etiam ſui: vt ſi quem audias loquentem, intelligis loquentis animum, & affectum ſuper re, quam narrat: & præter hoc cognoſcis verba, eaque germanica ne ſint an Italica diiudicas. Si autẽ hoc verbum, quod nos proferimus, temporale & trãſitorium, & ſeipſum oſtendit & illud de quo loquimur: quanto magis verbum Dei, per quod facta ſunt omnia, per ꝙ omnia ſubſiſtunt elementa. Verbum igitur Dei non ſolũ declarat id, quod per verbum ſignificatur, ſed etiam declarat ſeipſum. Ea propter is cui voluerit filius reuelare, cognoſcet & patrem & filium: non quidem perfecta cognitione & tali, quali pater & filius nouerunt ſe mutuo. nam hoc impoſſibile eſſe iam dictum eſt. ſed cognoſcet quamuis non comprehendendo, tamen aliquo vſque per fidem attingendo & apprehendendo. quanquam enim Deus in ſua eſſentia infinita non poſſit à creatura cognoſci & comprehendi: tamen radius aliquis diuinæ eſſentiæ communicari poteſt creaturæ. Sicut & qui totum ſolem

intueri

intueri non poteſt, poteſt tamen radios illius aſpicere. Ita quoque hic fieri certum eſt. habemus enim cognitionem illam per filium ipſo atteſtante cum ait: Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit.

Ioan.1.

Ceterum an etiam filius ſuo officio fuucturus ſit & nobis reuelaturus non ſolum patrem, verum etiam ſeipſum, ex eo quod iam ſequitur intelligere poteris.

ENARRATIONIS EVANGELII DOMINICAE SEXTAE POST FESTVM EPIPHANIAE DOMINI CAP. III.

VENITE *ad me omnes.*] Verba hæc ambroſia quauis, & omni nectare ſunt dulciora. quia non dicit hic aut ille, ſed omnes: neminem repellit, ſed omnibus vltro occurrit. mitiſſimus omnibus eſt. quod verbũ etiam ſapiens habet Eccl.24.c. dicens: Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me & à generationibus meis adimplemini. Spiritus enim meus ſuper mel dulcis & hæreditas mea ſuper mel & fauum. & Ioan.7.f. Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. O vocationem omni gaudio & conſolatione pleniſſimam. O miram eius dignationẽ & curam. O vocationẽ cæleſtem. quid enim illis Chriſti verbis ſuauius? quid hac voce poſſit eſſe deſiderabilius? quid hac inuitatione iucundius? ſiquidem neminem excludit, neminem reijcit, ſed nos omnes ad reuelationem pro laboribus adhortatur. Ad relaxationem à moleſtijs transfert: pondus peccatorum alleuat: delicijs animi moleſtiã, gaudio mœrorem ſanat. Ob hæc vt ad ſe veniamus inuitat, vt pulſemus hortatur. vt quæramus iubet. ſiquidem non vult mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat. Ezech. 41. Quamuis igitur peccatis innumerabilibus detineamur: tamen curſum eam ob rem maiorem in modum eò agamus. tales enim homines ad ſe vocat. nõ veni (inquit) iuſtos vocare, ſed peccatores ad pœnitentiam. Deus enim & eſt & dicitur conſolationis, Deus miſericordiarum: quoniam hoc eius officium eſt perpetuũ, vt ho-

vt homines dolentes,mœrentes,afflictos consoletur,atq; hortetur:modo sese ei dedant,modo accedāt, modo eius vocationem non negligant. Si quis igitur ad arcanorum Dei agnitionem non peruenerit: non poterit se dicere à filio pulsum,sed pulsum potius à se filium. nam omnibus dicit:venite. Sed dices : cupio ad Christum venire, & ab ipso mihi mysteria regni cælestis reuelari,à meis peccatis emundari: à curis quoque & doloribus huius seculi liberari:sed vbinam ipsum inueniā scire desidero.Dico,quod inuenitur in Ecclesia, vbi est veritas doctrinæ & efficacia sacramentorum.Moysen enim & prophetas audire iubemur. quare si ad ipsum accedere velimus, oportet veniamus,scilicet credendo & obediendo,nō pedibus,sed moribus,non corpore,sed fide & charitate. Iste namque spiritualis est accessus, quo quisque Deo appropinquare debet.Sequitur:

qui laboratis,] scilicet ignorantia vel labore ethnicę vel hereticæ tenebrositatis. nam dubium non est, si veneris, quamuis ignorantiæ tenebris obrutus, quin te docturus sit Dei filius, & hæc tibi mysteria reuelaturus. hinc Psal. 18.b. Lex domini immaculata,conuertens animas, testimonium domini fidele,sapiētiam præstans paruulis: hoc est,faciens sapere idiotas. Sequitur:

& onerati estis.] nimirum peccatis. hinc Psal. 37. Iniquitates meæ sicut onus graue, grauatæ sunt super me. vbi namque (inquit B.Augustinus) onerati estis, nisi sub sarcinis peccatorum,nisi sub iugo malæ dnę iniquitatis?

Vel onerati estis, videlicet curis & doloribus, & qui quarumcunque rerum pressuram sustinetis. nam puto ꝙ in vniuersum vocauit omnes quarumcūque rerum pressuram patientes.

Tu igitur oneratus es, & ego oneratus sum:tu laboras & ego laboro:Illum audiamus,ad illum veniamus. nam absque auxilio eius laboraremus & oneraremur nimis. Si autem ad eum accesserimus, alleuiabitur & labor noster & onus nostrum. Ad quid enim aliud diceret, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, nisi vt non laboretis,neque onerati sitis? Audiamus igitur & veniamus. quid est veniamus? credendo proficiamus, gratias agen-

do accipiamus,perſeuerando perueniamus. & ſi anguſtiã-tur vaſa carnis, dilatentur ſpacia charitatis:ſic vt nos non faciamus voluntatem noſtram, ſed volũtatem Dei. & ita futurum eſt vt nos non eijciat foras. quia membra eius ſumus,& caput noſtrum eſſe voluit, operibus nobis exhibendo humilitatem.

Si autem expreſſius ſcire deſideras, ad quid nos laborantes & onerati ad eum venire debeamus, audi quod iam ſubiungitur:

& ego reficiam vos.] Venite igitur ad me omnes: non vt pœnas detis:ſed vt ego,qui feci, reficiam: nimirum cibo & pabulo doctrinæ: amouendo à vobis ignorantiam & mentis tenebras. Deinde reficiam vos, videlicet gratia mea vobis peccata veſtra remittendo:& charitatę per me vobis infuſa veſtros labores & dolores leniendo.

Verum vt ſcias, quomodo ipſe nos refecturus ſit, ideo ſtatim ſubiungit dicens:

Tollite iugum meum ſuper vos.] quapropter hoc facere debent,qui ab illo refici deſiderant. Et merito iugum eius tollendum eſt:quia mitis eſt & humilis corde. nemo autem eſt,quin libentius ſit ſub iugo domini humilis & mãſueti,quàm rigidi & ſuperbi.

Sed quidnam eſt pie Ieſu quod hic dicis? Dixiſti enim te velle nos reficere,& à nobis auferre onus & laborem:& ſtatim præcipis nobis ferre iugum, qui nos credebamus ſine iugo futuros. quare igitur nõ potius prius dixiſti,venite qui vacatis,vt laboretis? nã & vacantes inuenit, quos conduxit in vineam, vt ferrent æſtum diei. quid enim aliud eſt quod hic dicis, tollite iugum meum ſuper vos? Dico,quod nolit nos amplius laborare ignorãtia,& oneratos eſſe peccatorum ſarcina. quod efficietur,ſi eius legẽ euangelicam,quæ noſtras mentes illuminat,& graui ſarcina peccatorum exonerat,ſuper nos ſumpſerimus. quãobrem per iugum hic intelligitur lex euangelica. Lex autem euangelica vocatur iugum, eo quod gẽtes & Iudæos in vna fide coniungat. nam ſicut iugum colla boum ad arandum iungit & ligat: ſic doctrina euangelica vtrũque populum ad iugum ſuum copulat. de quo dicitur Eccleſiaſtici vltimo: Collum veſtrum ſubijcite iugo eius.

Eſt &

Eſt & aliud iugum, nimirum diuinæ dilectionis, eo q́ homines ſibi inuicem iungat & etiam Deo. hinc ad Coloſſ. 3. Super omnia habete charitatem. quod eſt vinculum perfectionis.

Tertium eſt iugum mortificationis carnis, & imitationis Chriſti paſſionis: eo quod carnem ſpiritui ſubijciat. hinc Tren. 3. d. Bonum eſt viro, cum portauerit iugum Domini ab adoleſcentia ſua. Et beatus Bernardus. non ſufficit crux Chriſti ſine tua.

Ceterum *tollite*, id eſt, voluntarie accipite. hinc perſpicuum euadit errare hereticos, dum dicunt nos non habere liberam & liberè operantem voluntatem. niſi enim noſtrum liberum arbitrium quamuis non ſine auxilio diuinæ gratiæ quàm plurimum valeret, nec tollere iugum, nec diſcere iſtud ab ipſo dominus iuberet. vnde hic facilè etiam quiuis contra hæreticos quoſcunque ſuſtinere poterit, ſolam fidem non ſufficere. nam ſi ſola fides ſufficeret, quid credentibus in Chriſtum cum iugo & onere? Et ſuperuacuè dictum erit Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Item hoc Ioan. 13. Beati eritis, ſi feceritis ea. Sequitur:

& diſcite à me] quis eſt qui dicit, diſcite à me? qui formauit cælum & terram, qui diuiſit mare & aridam, qui creauit volatilia, qui creauit animalia terrena, qui creauit omnia natantia, qui poſuit in cęlo ſidera, qui diſtinxit à nocte diem, qui firmauit ipſum firmamentum, qui lucē à tenebris ſeparauit. Ipſe dicit, Diſcite à me: nunquid forte hoc nobis dicturus eſt vt iſta cum illo faciamus? minime gētium. nam qui hæc poteſt ſolus Deus eſt. quid igitur vult ab ipſo diſcamus? audi quod ſubnectitur;

quia mitis ſum & humilis corde.] quaſi dicat: Nolite timere, non vòs onero. hoc diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. quare non vult diſcamus cælos fabricare, nō angelos creare, nō miracula deitatis inſignia operari, ſed tantum humiliari, ceteraq; virtutum documēta intra humilitatis cuſtodiam aggregare. quaſi dicat: Diſcite à me non formare creaturam, quæ per me facta eſt, non mundum fabricare, non cuncta viſibilia & inuiſibilia creare: nec illa etiam dico diſcatis, quæ quibuſdam donaui, qui-

bus volui,non omnibus,videlicet facere miracula,suscitare mortuos,illuminare cæcos,aperire aures surdorum: nec alia huiusmodi pro magno velitis discere à me: sed discite à me quia mitis sum & humilis corde. quid enim prodest,si miracula facit homo & sit superbus: nõ sit mitis & humilis corde? nónne in illorum numero deputabitur,qui venturi sunt in fine, & dicturi: Domine nónne in nomine tuo prophetauim⁹ & virtutes multas fecimus? sed quid audient? nõ noui vos,Recedite à me omnes,qui operamini iniquitatem. non vult igitur vt ista miracula ab ipso discamus:sed discite à me,inquit, quia mitis sum & humilis corde. huccine bone Iesu omnes thesauri sapientiæ & scientiæ redacti sunt & in te absconditi,vt hoc pro magno discamus à te, quia mitis es & humilis corde?Ita ne magnum est,esse paruũ,vt nisi à te,qui tam magnus es, doceretur,& opere cõpleretur, disci omnino nõ posset?Ita plane. quia nõ facile potest quisquã humilitatẽ docere inflatus. quamuis enim sit humana sapientia præditus: mens tamẽ inflatur,quam superbia carnis extollit: & qui paupertate cõtentus est,non est cõtentus iniuria:& qui potest ferre verberũ pœnas,exagitatur verborum cõtumelijs: & qui potest administrationẽ contẽnere, dolet sibi aliquem honorificentia esse prælatum. grande est in omnibus humilitatis tenere mensurã: quare non nisi ab ipso qui dicit,discite à me quia mitis sum & humilis corde,bene doceri potest. vnde & Gregorius,ad hoc,inquit, vnigenitus Dei filius formã infirmitatis nostræ suscepit: ad hoc inuisibilis, non solum visibilis, sed etiã despectus apparuit: ad hoc contumeliarum ludibria & irrisionum probra,& passionum tormenta tolerauit,vt doceret Deus superbum nõ debere esse hominẽ. quanta ergo virtus est humilitas, propter quam solã veraciter edocẽdam, is qui sine æstimatione magnus est vsque ad passionẽ factus est paruus. Noluit enim docere quod ipse non esset: noluit iubere quod ipse non faceret. quasi dicat: Discite à me ꝙ propter vos factus sum,nõ quidem vt sitis mihi æquales, quũ hoc sit impossibile:sed vt in me respiciẽtes,mansueti perseueretis in omni tempore. quis aũt abnegabit fieri,ꝙ ipse pro nobis factus est. fieri namq; solet, vt illos qui in

hoc mun-

hoc mundo maximi ſunt, imitari vita & moribus nõ ſolum nõ pigeat, verumetiam delectet. quemadmodum & hodie cõtingit vt eorum mores nobis faciamus proprios qui in hoc mundo plurimi fiunt. Et nos igitur Chriſtum qui ter maximus eſt vita & moribus exprimamus. nam hoc nos in longe maiorem honorem & gloriam perducet: q̃ ſi vel imperatoris vel alterius alicuius etiam maximi principis mores imitemur. hinc dicit beatus Auguſtinus, magnus eſſe vis, à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis. Et quanto erit maius ædificium, tanto altius fodere debes fundamentum. Et fabrica quidẽ cum conſtruitur, in ſuperna cõſurgit. qui autem fodit fundamentum, ad ima deprimitur. Ergo & fabrica ante celſitudinem humiliatur, & faſtigium poſt humiliationem erigitur. Sed quod eſt faſtigium conſtruendæ ſpiritualis fabricæ, quam molimur? quo peruẽturum eſt cacumẽ ædificij? Cito dico vſque ad conſpectum Dei. Videtis quam excelſum eſt, quanta res conſpicere Deum. ſed quia magnum faſtigium eſt, de magno fundamento cogita. quo inquis fundamento? diſce ab illo, quoniam mitis eſt & humilis corde. hoc in te fode fundamẽtum humilitatis, & peruenies ad faſtigium charitatis. hoc namque faciẽdo charitatem inſeres germaniſſimam, ſine confuſione, ſine inflatione, ſine fallacia. hæc beatus Auguſtinus.

Vnde tota lex noua cõſiſtit in duobus, nimirũ, in mãſuetudine & humilitate. Per manſuetudinem homo ordinatur ad proximum. vnde Pſal. 131. Memento domine Dauid & omnis manſuetudiuis eius. Et 1. Pet. 2. Cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur, non com minabatur. Et Eſaiæ 53. Sicut ouis ad occiſionem ductus eſt, & non aperuit os ſuum. Per humilitatem autem ordinatur ad ſe & ad Deum. Vnde humilitas facit hominem capacem Dei. Hinc Eſaię 66. Ad quẽ reſpiciã niſi ad pauperculũ & contritũ ſpiritu, & trementẽ ſermones meos? O doctrinã ſalutarem. O magiſtrũ, dominũq; mortaliũ, quibus mors poculo ſuperbię propinata atque transfuſa eſt. Vult igitur vt nos illius mititatẽ & humilitatem imitemur. nec id fruſtra faciemus. nam ſi imitemur eas, inuenie-

ueniemus requiem animabus noſtris. hinc ſubiungitur:

& inuenietis requiem animabus veſtris.] nam qui verè mitis eſt & ſemetipſum humiliat, nunquàm poterit ira com moueri, nec proximo ſuccenſere: nec cogitationum tempeſtates & tumultus habere. Nam anima eius in ſui conſyderatione occupata eſt, & humiliata: & ratione vincit internos illos incompoſitos motus: nobilemq́ue ſuam generoſitatem ſeruat, ne in brutorum ferociam negligentia degeneret. Animâ aũt quę ſic ſe habet, quid eſſe poſſet beatius? Sicut igitur deſes & ſupinus & qui nequit ſeipſum, vt decet, moderari, perpetuò perturbationibus & affectionibus obnoxius eſt, domi bellũ habet nemine perſequente, turbatur & grauē ſuſtinet tempeſtatem: Ita qui ſuas malas & peruerſas affectiōes ſopit, multa requie perfruitur: nihil enim animam ita in tranquillitate & quiete eſſe facit, vt manſuetudo & modeſtia. Hæc omni diademate ſe poſſidēti eſt vtilior. Hæc omni claritudine & gloria conducibilior. Nam quicunque hanc habet, is in portu cōtinuò ſedet ab omni tēpeſtate liber, & oblectatur in cogitationum ſuarum tranquillitate. Quamobrem Chriſtus bene dicit; Et inuenietis requiē animab⁹ veſtris. Quid enim quietius & beatius, quàm inteſtino liberari bello? nã nihil externa pax nobis proderit, ſi intra nos cogitationũ naſcantur tempeſtates, & tumultus. Sicut & neque miſerabilius eſt aliquid ciuitate, quæ licet præſidiis & muris bene ſit munita: intus tamē ciues foueat proditores. Proinde decet nos perpetuam, indeſinentēq; animæ noſtræ ſolicitudinem habere, vt ante omnia nobis ſit curæ quo modo animam noſtram à turbulentia vindicemus, & in tranquillum ſtatum educamus, & ab omni amaritudine liberemus: quo & ipſi multa fruamur quiete, & iis qui familiaritatē nobiſcũ habēt, ſimus blãdi. hoc enim certiſſimũ ſignũ quo internoſcitur vir ratione præditus, ſi manſuetus fuerit, ſi lenis, ſi mitis, ſi modeſtus & quietus: ſi non quaſi ſeruus ducatur, & trahatur aut ab ira, aut ab aliis affectionibus. hominis enim ratione præditi eſt, aduerſus prauas affectiones & concupiſcentias carnis ſemper in acie ſtare. Subiungitur:

Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.] Quomodo

inquies

inquies,onus euangelicæ legis est leue,cum dicatur Lucę 14.f. Si quis venit ad me & non odit patrem suum, & matrem,& vxorem, & filios, & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam,non potest meus esse discipulus. Et qui nō baiulat crucē suā & venit post me: nō potest meus esse discipulus. Et qui non renūciat omnibus quæ possidet:non potest meus esse discipulus. quo modo inquam hoc onus leue est? Pręterea & Paulus posterioris ad Timotheum tertio dicit, quòd omnes qui volūt in Christo piè viuere persecutionē patientur. Quomodo igitur iugum leue est & sarcina leuis,quandoquidem illud iugū & sarcinam ferre nihil est aliud quàm piè viuere in Christo? Præterea Paulus apostolus prioris ad Corinth.6.dicit; In omnibus cōmendantes nosmet ipsos tanquam dei ministros in multa patientia,in tribulationibus,in necessitatibus,in angustiis,in plagis &c.Denique in epistola posteriori ad Corinth.cap.11. A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi,ter virgis cæsus sum,semel lapidatus sum,ter naufragiū feci, nocte & die in profundo maris fui. Hęc autem omnia hic à B. Paulo enumerata grauia sunt sanè,tristia,& acerba. Quapropter & Hieronymus voluit,vt Pelagius de libro suo raderet,facilia esse Christi mandata. Quo modo igitur iugum Christi suaue est, & onus leue? Respondet Hieronymus, quòd seruator leuia dixit esse euangelij mādata,ad cōparationem superstitionis Iudaicæ, in qua varia ceremoniarum genera quærebantur,quæ iuxta literam & Apostoli Petri sententiā, nullus potuit explere. Vnde & in actibus Apostolorum scribitur:nunc ergo quid tentatis imponere iugum super ceruicem discipulorū,quod neq; nos,neq; patres nostri portare potuimus; sed per gratiam Domini Iesu saluari credimus,quemadmodum & illi. hæc Hieronymus.

Vel dicendū est,quod lex euangelica propter futuram retributionem leuis est. Magnitudo enim præmiorū promissorum lenit omne onus laborum. Temperat etiā persecutionū procellas præsens auxilium Spiritussancti,qui qui nō sinit nos tentari supra id,quod possumus. Qui igitur hæc non amant propter spem futuræ beatitudinis,eadem grauia patiuntur. Qui vero amant,eadem quidē,sed

non grauia pati videntur. Omnia enim ſæua & imma-nia prorſus facilia, & propemodum nulla efficit amor. Eſt igitur onus leue amantibus ſed valde graue odio illud habentibus. Omnia ergo illa quæ commemorauit aſpera & grauia frequentius & abundantius ſuſtinebat Apoſtolus Paulus: ſed profectò aderat ei Spiritusſanctus qui in exterioris hominis corruptione, interiorem renouaret de die in diem: & affectum eius accenderet charitate, & guſtata requie ſpirituali in affluentia delitiarum Dei, in ſpe beatitudinis futuræ omnia præſentia deliniret, aſpera & omnia grauia releuaret. Quamobrem euangelica lex inchoantibus difficilis & grauis eſt, ſed perfecte iam viuẽtibus leuis. nam onus leue eſt poſtquàm hoc ferre cœperimus, ita vt pro amore eius etiam perſecutio placeat, & omnis pro eo afflictio in mentis dulcedinem veniat. Sicut ſancti quoque Apoſtoli gaudebant, cũ pro domino flagella tolerabant. Ipſæ igitur viæ duræ, amantibus molles & planè fiũt, dum animus hoc incipit, quod affligit & durum eſt, amare: quia ſcit ſe pro temporalibus doloribus gaudia æterna recipere.

FINIS.